Ki
648c

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-154593-p0001-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-154593-p0002-4

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-154593-p0003-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-154593-p0004-5

Vgl Ki 648 c

I. N. J.

# TRACTATIONES JURIDICÆ DE JURE HORTORUM, CONVENATIONE ET COMPASCUIS,

Von

## Garten- und Zaun-Recht/ Koppel- und Gnaden-Jagten/ it. Koppeltrifften.

*Operâ & ſtudio*

AHASVERI FRITSCHII, J. U. D.
Conſil. Aul. Rud. Schwartzb.

Ki 648 c

*ANNO M DC LXX.*

---

*JENÆ,*
TYPIS PAULI EHRICHII, 1711.

KOEN. BIBL. DER UNIVERS. HALLE

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-154593-p0005-1

VIRIS

*GENEROSIS MAXIMEQUE STRENUIS,*

DN. BALTHASAR - LUDOVICO
à Bendeleben / HEREDITARIO
in Bendeleben.

DN. PETRO ERNESTO,
ET
DN. GEORGIO ERNESTO,
ab Hopffgarten / HEREDITARIIS
in Schlotheim und Möhrſte.

DN. JOBO CHRISTOPHORO
à GRIESHEIM, HEREDITARIO
in Elxleben / &c.

DN. CONRADO APELIO
à GRIESHEIM, HEREDITARIO
in Griesheim / &c.

OMNIBUS VASALLIS SCHVVARZBURGICIS,
LINEÆ RUDELSTADIENSIS.

*DOMINIS FAUTORIBUS ET AMICIS*
*MULTUM COLENDIS.*

PERPETUAM FELICITATEM!

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-154593-p0006-7

QVas lites convenationum ac compaſcuorum jura *inter vicinos excitare ſoleant, non tantùm quotidiana judiciorum praxis docet, verùm Vos ipſi*, VIRI GENEROSI, *qui ejusmodi jura cum fundis feudalibus poſſidetis, id teſtari poteſtis. Cùm verò lites iſtæ non raro ex errore naſcantur, dum hoc vel illud pro jure ac conſuetudine venditatur, quod tale non eſt, non eſſe poteſt, operæ pretium exiſtimavi, de hâc materie paucis agere. Vobis igitur* VIRI GENEROSI, utpote Vaſallis Schvvarzburgicis, *præ aliis ſcriptum hoc conſecrare volui, quod, velut publicam honoris ac benivolentiæ teſſeram, à me accipere velitis, rogo.* VALETE. *Dab. Rudelſt.* 2. *Aug. Anno* CIↃ CIC LXIX.

VESTR. GENEROSIT.

*Officiosè colens*

AHASVERUS FRITSCHIUS, D.

## *Ad Benivolum Lectorem.*

EXhibentur hîc breves quædam Diſſertatiunculæ, de diverſis materiis, rem ruſticam cumprimis concernentibus, quas ob earum jucundam utilitatem, poſt publicorum negotiorum tædia, ſuetæ recreationis ergo, horis ſubſecivis conſcripſimus. Breves ſunt, non ob materiarum anguſtiam, ſed ob frequentes cogitationum interturbationes. Fortean hæc occaſionem aliis, quibus otium majus eſt, præbere poſſunt, plura, magisque exaſciata, de quotidianis & utiliſſimis hiſce materiis commentandi. Tu, *Lector Benivole*, conatibus hiſce, ut noſtris aliis, qualescunque fuerint, fave, & in DOMINO NOSTRO optime Vale. *Dab. è Muſeo, Rudelſtadii. Menſe Julio. Anno* CIↃ CIC LXIX.

*I. N. J.*

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-154593-p0008-8

*I. N. J.*

DISSERTATIO JURIDICA

*DE*

# JURE HORTORUM.

I.

HOrtus juxta Iſidorum *lib. 17. orig. 10.* inde dictus, quod in eo ſemper aliquid *oriatur*. Nam cum alia terra ſemel in anno aliquid creet: *Ortus* nunquam ſine fructu eſt. Aliis eſt à Græcanico χόρτος, quod nunc herba eſt, gramen, vel fœnum. Unde etiam latinum *Cordum:* nunc *ſeptum*, quô aula cincta eſt, etymon horto conveniens: Hortus enim locus eſt ſeptus ad plantas alendas & cuſtodiendas. Vid. Becm. *in origin. h. v.* Martinius, *in Etymolog.* propiùs deducit ab ἑρκτὸς, ut indè ſit *horctus*, munitus, & molliùs *hortus*, Germ. Garte/ à Latino *hortus*. Ita Friſiis Thun eſt ſeptum & hortus. Zaun propriè eſt ſepes, ex dentatis lignis, quæ Zaunpfähle/ Zaunſtecken/ dicuntur, à Zahn/ dens.

II.

*Hortus* apud Græcos omnis villa dicebatur, quod ibi, qui arma capere poſſent, orirentur, inquit feſtus. Ita in LL. XII. Tabb. *hortus* pro *villâ* accipitur. Plin. *lib. 29. c. 4.* Poſtea Romani illum agrum, qui domo vel villæ proximus erat, hortum dixêre: Gryphiand. *Oecon. legal. lib. 1. cap. 5. n. 42.* Valla *lib. 3. cap. 9. Ita:* Hortus in ſingulari & plurali pro hor-

tis olitoriis accipitur, id eſt, olera producentibus. Horti in plurali arboribus conſiti dicuntur, & voluptatis amænitatisque gratiâ parati!

III.

Eſt autem hortus, ein Garte/ (juxta Perottum) locus, ſive in urbibus atque oppidis, ſive in Villis, rurique, in quo arbores & olera oriuntur.

IV.

Quæritur autem: An hortus ſit prædium urbanum, an ruſticum? Reſpond. de eo ex uſu & deſtinatione patrisfamilias judicandum eſſe. Si plurimum in reditu eſt, puta, quia in eo ſunt vites, oliveta, vel in eo ſeminatur frumentum, vel naſcuntur fructus venales, tunc dicitur ruſticum prædium, etiamſi ſit in civitate; ſecus, ſi ædium commoditati, ut eſt viridarium, ſit addictus, fructusque non vendantur per *l. urbana prædia 198. in fin.* ibique *Joh. Gödd. de V. S.* Bartol. Cæpoll. *tract. de ſervit. urban. cap. 11. n. 4.* Henr. Zoëſ. *π. tit. de ſervit. n. 24.*

V.

Quæritur præterea: An domus in hortis ſuburbanis exſtructæ, Gartenhäuſer/ ſint urbanorum prædiorum numero habendæ? Quod ex dictis affirmatur.

VI.

Quærit etiam Cæpolla, *d. tr. de ſerv. urban. cap. 76. n. 2.* An hortus contineatur appellatione domus? Quod ait, ſi emtus eſt unico pretio cum domo, vel eſt paratus ad uſum domus. Aliàs regulariter ſecus eſt, etſi per domum ad eum aditus habeatur. *l. fin. 12. & ibi Bal. Angel. & Dd. de SUP. l. prædiis. D. pen. & ibi Bart. de L. 3.*

VII.

Sunt autem varia hortorum genera; Aut enim voluptatis aut utilitatis gratiâ comparantur *l. 13. §. 4. de uſufruct.*

Sunt

Sunt horti 1. Olitorii, Kräut-Gärten / Küchen-Gärten / in quibus legumina etiam, & lactucæ genera habentur. 2. Pomarii, Obſt-Gärten / Baum-Gärten. 3. Coronarii, hortuli florum, Blumen-Gärten. 4. Aromatarii, Medicinales, qui pharmaca & medicas herbas proferunt, Specerey- und Kräuter-Gärten / quorum cura medicis ac Pharmacopæis incumbere debet. Et cenſent Prudentiores, è Republica fore, ut in Metropoli aliisve urbibus primariis, vel ſaltem in Academiis horti herbarii ſive medici adornentur, & Botanici ſtudii gratia excolantur, qualem hortum medicum in Civitate Jenenſi, ubi celeberrima hodiè Germaniæ Academia, vidimus.

## VIII.

Cæterùm, apud Romanos olim cumprimis commendati fuêre Horti Ravennæ valetudinis cauſa habiti. *l. 16. mand.* item Saluſtianæ Romæ. *l. 39. §. 1. de L. 1.* Vopiſc. *in Aurel.* Lucilliani. Plutarch. *in Lucull.* Horti Cæſaris, quos commendat Cicero *lib. 12. ad Attic.*

## IX.

Ut hortorum uſus antiquiſſimus; (Ipſe enim Deus mundi Creator, ut ex Geneſi docemur, hortum Paradiſi plantavit, eumque Adamo Protoplaſtæ ad colendum ac cuſtodiendum dedit) ita eorum utilitas ac amœnitas longè maxima, & apud veteres auctores decantatiſſima eſt. Magni etiam Reges ac Principes hortorum culturâ ſummè delectati fuêre. De ſe ipſo id teſtatur Regum ſapientiſſimus *Salomon, in Eccleſiaſt. cap. 2.* Cujus Regalis horti formam & modum deſcribit Petrus de Creſcentiis *lib. 8. de re ruſtica. Diocletianus* Cæſar imperio ſe abdicabat, & rei ruſticæ in ſerendis oleribus indulgebat. *Aurelianus* Imp. Palatio hortos prætulit. Ex Trojo Pompejo, Juſtinus *lib. 36. de Attalo*, omiſſa Regni adminiſtratione hortos fodiebat, graminaque ſeminabat.

Plinius

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-154593-p0011-4

Plinius *lib. 19. cap. 4.* Antiquitas, *ait*, nihil prius hortorum curâ mirata eſt: Inde Heſperidum horti, ac Regum Adonis & Alcinoi, itemque penſiles, ſive illos Semiramis, ſive Aſſyriæ Rex Cyrus fecit. Infinita alia exempla ſuggerunt Hiſtorici.

X.

Cæterum hortorum utilitatem poſt veteres commendant noviſſimè Jac. Bornit. tract. *de rerum ſufficient. lib. 1. cap. 14.* Caſp. Klock. *de ærar. lib. 2. cap. 3.* & ex eo Speidel. *in Specul. v.* Garten. *ubi ait:* Hortos fructiferos urbibus maximo emolumento eſſe ad cibos & obſonia, ac propterea in benè conſtitutis Civitatibus ſummâ cum induſtriâ excoli ſolent in pomœriis & ſuburbiis. Immò videris multis in locis poma & pyra, & alia extra mœnia quoque magna in copia, in campis apertis plantari: In montibus Genevenſium ſylvas Caſtanearum offendes; in Palatinatu & alibi nucum, vinearumve, quod ſuperioribus annis ipſi ſumma cum voluptate vidimus.

XI.

Cùm igitur tanta ſit hortorum utilitas, eleganter quæritur: An Princeps ſubditos ſuos ſub certâ pœnâ cogere poſſit, ut arbores frugiferas in ſuis prædiis plantent, hortosque colant? Et quamvis quilibet rei ſuæ moderator ſit, atque arbiter, ac nemo in ſuo invitus aliquid facere cogatur, rectiſſimè tamen adſeritur, Principem novam culturam agrorum & hortorum diligentem ſubditis ſuis non tantùm commendare, verùm etiam eorum in colendo negligentiam mulctâ quâdam pecuniariâ coërcere poſſe. Cùm enim diligens cura & cultura prædiorum tàm privatim, quàm publicè utilis ſit, vid. Klock. *d. tract. c. 3.* officio boni Principis incumbit, ea jubere, legibusque determinare, quæ boni Patrisfamilias in domo poſtulat officium; Quippe ſi hoc malè neglectum



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-154593-p0012-0

glectum fuerit, damnum in de redundat in ærarium publicum, ipſumq; Principem. Præterea conſtitutum eſt, omnia, quæ ſunt in patrimonio ſeu Dominio privatorum ac civium, directioni ac poteſtati legum ac Superiorum ſubjacere, quousque ſalus & utilitas Reipub. poſtulat. Undè non poſſumus non maximè lautare Conſtitutionem Provincialem laudatiſſimi Principis Saxo-Gothani, Domini ERNESTI, Optimi ſanè & Principis, & Epiſcopi & Patrifamilias, quâ ſub pœna unius floreni plantationem arborum, ubi ea commodè fieri poteſt, ſubditis ſuis injunxit. Conſtitutionis, quæ habetur in *Ordinat. Provinc. Part. 2. cap. 3. tit. 25.* von Baumpflantzen/ verba hæc ſunt: Nachdem männiglich bekannt / wie ein nütz- und fürträglich Ding es um die Obſt-Bäume iſt/ als wollen wir / daß ein jeder Unterthan in Städten / Flecken und Dörffern / welcher bequemen Raum in ſeinen Gärten hat/ Jährlich ein Anzahl Obſt-Bäume pflantzen ſoll. Und auf daß ſolches unweigerlich gehalten werde / ſo ſollen / zumahln in Dörffern die Schultheiſſen/ Gerichts-Schöpffen / und Heimbürgen hierauff fleiſſiges Auffachten haben / und darob ſeyn / auch bey der Gemeine anhalten / und ſie vermahnen/ ſolchem / wie gemeld / zu geleben / und den Beambten / oder eines jeden Orts Gerichts-Herrn jährlich auff einen gewiſſen Tag verzeichnet zuſtellen/ wenn/ und wie viel Obſtbäume geſetzt und geplantzet ſeyn. Und da einer oder mehr in demſelben Jahr nichts gepflantzet / oder gepfropfft hätte / da er es doch der Gelegenheit ſeiner Güther halber wol zu thun gehabt/ derſelbigen ſoll ein jeder / ſo manches Jahr es geſchicht / einen Gülden zur Straffe geben. Utinam & alii Principes ejusmodi Conſtitutiones in ſuis Territoriis introducerent, forte non videremus hodiè tot hortos ac prædia paſſim ſterileſcere & caduca fieri! Laudabilis etiam totique univerſitati proficuus mos quibusdam in locis Ducatus Würtenbergici

(referente Speidelio *dict. loc.*) introductus eſſe dicitur, quod quilibet poſt receptionem in ſubditum arborem frugiferam in loco quodam communi plantare teneatur, muß auf die Allmand einen fruchtbahrn Baum ſetzen laſſen.

XII.

Quemadmodum verò Princeps novam hortorum culturam civibus ac ſubditis ſuis, uti dictum, rectè commendat & injungit, ita eos merito punit, qui hortorum, quos habent, curam & culturam planè negligunt, eosque ſterileſcere patiuntur. Optimè huc facit aureus textus in *l. forma 4. §. 1. ff. de cenſib.* ubi ticitur: *Eum relevari debere in publicis tabulis, qui delato modo fundi certis ex cauſis emi non poſſit, non vero ſi arbores exciderit &c.* Deprehendimus hodiè plurimis in locis ejusmodi ſubditorum negligentiam, qui in locum demorientium arborum nullas ſubſtituere ſolent, vel tam diu cunctantur, donec omnes demortuæ fuerint, undè non poſſunt non multorum annorum fructibus privari. Conqueruntur hodiè cives & agricolæ, quod per multos annos ex hortis pomariis fructus nullos perceperint; Accuſant incommodam tempeſtatem, vermes & alia naturæ mala. Verùm multis objici poſſet, quod ſuo tempore Romanis objiciebat Columella, *de re ruſtica præfat. ad P Silvium*: ubi ita ait: Sæpè numero Civitatis noſtræ Principes audio, culpantes modò agrorum infœcunditatem, modò cœli per multa jam tempora noxiam frugibus intemperiem: Quosdam etiam prædictas querimonias, velut ratione certa mitigantes, quod exiſtiment ubertate nimiâ prioris ævi defatigatum & effætum ſolum nequire priſtina benignitate præbere mortalibus alimenta. Quas ego cauſas procul à veritate abeſſe certum habeo, quod neque fas eſt exiſtimare humi naturam, quam primus ille mundi Genitor perpetuâ fecunditate donavit, quaſi quodam morbo ſterilitate affe-

affectam; Neque prudentis eſt, credere, tellurem, quæ divinam & æternam juventam ſortita, communis omnium parens dicta ſit, quia & cuncta peperit ſemper, & deinceps paritura ſit, velut hominem congenuiſſe. Nec poſt hæc reor intemperantia cæli nobis iſta, ſed noſtro potius accidere vitio, qui rem ruſticam peſſimo cuique ſervorum, velut carnifici noxiæ dedimus, quam majorum noſtrorum optimus quisque *perſeverantiſſimo ſtudio* optimè tractarit, &c. Nimirum negligentia noſtra non poſtrema hujus mali cauſa dicenda eſt.

XIII.

Diximus de inſigni hortorum utilitate; Quod verò hortulani ſit officium, id ad prudentiam œconomicam pertinet. Vide poſt Columellam & alios Petr. de Creſcent. *lib.* 2. qui hortulani officium eſſe tradit, fodere, ſerere, plantare, paſtinare, irrigare, curare arbores, ſtercorare &c. Idem etiam *lib. 6. cap. 1.* deſcribit ſolum horti, quod debeat eſſe pingue & molle, humidum magis quàm ſiccum, cælo liber, ut ſol intrare & venti pertranſire poſſint: in quo ſit rivus vel fons, unde irrigari herbæ ſiccitatis tempore poſſint.

XIV.

Diximus de hortorum cura & cultura, quâ occaſione quæritur: An fructus hortenſes numerentur inter fructus induſtriales, an naturales? JCti Arborum fructus naturales eſſe volunt, cum non ex operis hominum producantur, licet aliqua iis cura & induſtria adhiberi ſoleat, non tamen talis neceſſaria eſt, qualis circa fructus induſtriales requiritur. *l. 8. de ſervit. l. 45. de uſur.* Menoch. *de A. J. C. lib. 2. cent. 3. caſ. 210. n. 2. & 3.* Godd. *ad l. 77. n. 2. d. VS.* Simon. Ulr. Piſtor. *in not. ad Hart. Piſt. part. 1. quæſt. 24. litt. bb.* Gryph. *Oecon. legal. Lib. 1. cap. 17. n. 176.* Cum verò hortorum atque fructuum diverſa ſint genera, arbitrio judicis id relinquendum eſſe ar-



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-154593-p0015-7

bitramur, an fructus naturales, an induſtriales ſint habendi. cum Bartolo *in l. 35. de VS. & Cyn. in l. 22. n. 2. C. de R. V.* Bachov. *ad Tr. v. 1. de 15. th. 11.* Carpz *part. 3. Conſt. 32. defin. 24. n. 12.* Sic poma, pyra, ceraſa, nuces, pruna, &c. fructus ſunt hortorum naturales: Rapæ verò, piſa, legumina atque alia in hortis conſita, quæ ſingularem induſtriam neceſſariò requirunt, induſtriales haberi debent.

XV.

Occurrunt autem circa jus hortorum variæ quæſtiones, quarum potiores ac frequentiores heîc videbimus. Quæritur I. *Qualia ſint illa prædia, quæ* Garten-Recht *habere dicuntur?* Reſp. eſſe ea, ubi paſtura eſt prohibita, beſchloſſene und verbaute Güther / & quæ ſepimento claudere licet, die das Zaun-Recht haben / illis ſcilicet in locis, ubi horti ſepiuntur. Sunt ſcilicet loca, quæ omni tempore paſcuis deſtinata, die kein Garten-Recht haben / ut ſunt prata, Wieſen / auff welche man zeitlich fahren darff. Lindenſpür, *in Commentar. ad Ordin. Wurtenb. fol. 298.* Et hæc pro cujusque loci uſu & conſuedutine variant. Aliter in Thuringia, aliter in Saxoniâ, aliter alibi ſervatur.

XVI.

Quær. II. *An prædia illa, quæ* Garten-Recht *non habent, ſed auctumnali temporæ paſturæ communi patent, ſepimento claudere liceat?* Reſp. licere quidem eatenus cuſtodire quatenus paſtura non impediatur, levi ſcilicet contra impetum ſepimento: Eo tamen tempore, quo collectis fructibus paſtura in prædiis illis exerceri ſolet, illud tolli debet, niſi forte quis longiſſimo tempore prædium perpetuò ſeptum & clauſum quietè poſſederit, atque jus ſeptum habendi, das Zaun-Recht / legitimè præſcripſerit. Et ſic nuper in cauſa quadam inter Senatum N. & Civem N. pronunciare nobis viſum fuit. Quicunque igitur communi paſculatione in agris

agris univerſitatis utitur, is non poteſt in præjudicium reliquorum partem agri ſepimento claudere, & hoc modo paſturam deminuere. vid. Noe Meurer. *part. 2.* Jagt- und Forſt-Recht. *p. 46.* ibi: Daß keiner zu Schmälerung der gemeinen Weid ihme ſelber ein Guth beſchlieſſen / mit einem Zaun zum Garten-Recht machen könne. Secus, ſi cum renunciatione juris paſculandi ita cum univerſitate paciſcatur. Vid. præjud. apud Dieter. *in Spicileg. Beſold. theſ. pract. n. 29.*

XVII.

Quæritur. III. *An etiam agros, vineas ac ruſtica prædia ab incurſu ferarum ſepimentis munire liceat?* Affirm. modò id cum conſenſu ſuperioris, cui jus foreſti ac venationis competit, fiat, aliterque agrorum fruſtus commodè defendi nequeant. Hoc enim omninò juſtum eſt, ſi ſubditi tributorum onera ferre debent, ut etiam eorum bona contra ferarum damna quocunque modo defendere, iis permiſſum ſit; Tyrannicum quippe eſt, naturalem hanc prædiorum defenſionem prohibere, ac pati, ut ſubditorum arva per ferarum greges, das viele gehegte Wild / devaſtentur. Quamvis, proh dolor! multi hodiè in aulis Principum reperiantur, qui illis perſuadere audeant, ſubditos debere ejusmodi mala pati, nec Principem ad reſtitutionem ullius damni per feras dati, teneri, quod ſanè iniquiſſimum, omnique humanitati maximè adverſum eſt. Cæterum, de poteſtate ſepiendi ac muniendi prædia contra ferarum damna, placet adducere ordinationem foreſtalem Hohenloicam, *ubi tit. 11.* Von Verzäunung der Güther / *hæc leguntur*: Dieweil unſere Vor-Eltern den armen Unterthanen zugelaſſen ihre erbauete Güther zu verzäunen / zu vergraben und zu verhögen / ſo wollen wir Ihnen ebenmäſſig gnädiglich zugeben und vergönnen / daß ein jeder ſeine Felder / Aecker / Wein-Gärten / und Wieſen zum beſten vergraben und verhögen möge / doch daß dieſelbige

ſelbige nicht alſo gemacht / daß damit das Wildpret gefangen / oder beſchädiget werde. Sonderlich aber ſollen diejenige / ſo ihre Güther mit Zaunſtecken vermachen wollen / dieſelbe zum wenigſten ſechs oder ſieben Schuh hoch / aber nicht ſpitzig machen / oder Lücken darinnen laſſen / oder ſonſten alſo machen / wenn das Wiltpret dadurch / oder hinüber ſpringt / daß es folgendts gefangen / geſtacht / oder todt geſchlagen werden möge. Derohalben auch ein ſolcher ſich zu förderiſt bey unſern Forſt-Meiſtern oder Forſt-Knechten Beſcheidts erholen / wie er ſolchen Zaun ſetzen / oder machen / den er auch hernach beſichtigen / und da er befünden würde / daß er des Wiltprets halben ſchädlich / oder gefährlich geſetzt / ſolches abſchaffen ſolle. Wo ſichs dann fügte / daß ein Wiltpret in einen Zaun-Stecken ſpringe / oder ſonſten in andere Wege beſchädigt / oder nieder liegen würde / ſo ſoll daſſelbe jederzeit unſerm Forſt-Meiſter und Forſt-Knecht angezeigt werden / und ſolches von der Mahlſtatt nicht hinweg gethan werden / ſie haben es dann gethan / damit ein jedweder beſchwerlichen Verdachts halber geſichert ſey. Hiſce add. Noë Meurer. tr. von Jagt- und Forſt-Recht / *part. 2. rubr.* wie die Zäune zu Beſchützung der Früchten und Bau-Güther / wider das Wilpret zu machen. Ubi ita ſcribit: Dieſe Frage iſt zu beyden Theilen faſt diſputirlich / und alſo geſchaffen / daß mir was endliches darinnen zu decidiren beſchwerlich. Denn erſtlich iſt es juris, und ſagen die Rechte / daß ein jeder ſich deß jenigen / nach ſeinen guten Willen gebrauchen / ſein Eigenthum erhalten und beſſern möge. *l. 21. C. mandat.* ſie auch ſolches / wie dann ein jeder ſo ein Erb-Beſtändnüß zu thun ſchuldig. *arg. tt. C. de jur. emphyt.* ſo trifft es auch den gemeinen Nutzen an / wo man ob den Früchten und den Bauleuthen hält. Denn durch ſolch Wachſen die Nahrung der Menſchen erhalten wird. Herwiederum mag auch der Forſt-Herr ſich laſſen in viel

Wege

Wege beſchwehren / und ſagen: wenn die Bau-Güther ſo gar vermacht / daß das Wiltpret ſeine Nahrung nicht mehr haben möge. Item, es trägt ſich auch etwann / wie ich ſelber geſehen / zu / daß die Bauleuthe die Zäune fürſetzlich oben ſpitzen / darauf Rübe-Laub und anders legen / der Urſachen / daß das Wilpret darnach ſpringe / ſich alſo ſelber ſteche und umbringe. So macht man etwan zwiſchen den Zäunen Lücken / verhütet und fahet alſo das Wiltpret / ſo es bey Nacht hinein gehet. Wie nun der Sachen zu helffen / oder hierinnen ein gut Mittel zu finden / wäre vielleicht zu förderiſt darauf zu ſehen / ob ein ligend Guth von Alters verzäunet worden oder nicht: Dann iſt es ein verzäunt Guth geweſen / ſoll es billich noch bey dem alten Herkommen bleiben / und gelaſſen werden. Wäre aber ein Guth nie verzäunt worden / ſondern im freyen Felde / und zu ſeiner Zeit in der gemeinen Weid gelegen / ſo wäre darum à ſimili zu ſchlieſſen / daß wie keiner zu Schmälerung der gemeinen Weide ihm ſelber ein Guth beſchlieſſen / mit einem Zaun zum Garten-Recht machen könnte / daß auch alſo dem Wiltpret ſeine Nahrung nicht zu nehmen. Geſetzt aber / daß gleich vor Alters ein Feld oder Acker nicht verzäunt geweſen / ſo ſage ich doch / und halte dafür / daß die Gerechtigkeit des Jagens / wie eine jede ander ſervität / nicht zum Uberfluß / ſondern nach Nothdurfft zu verſtehen. *l. ergò in fin. de ſervit. ruſt. præd.* wollen ſich nun die Herren ihres Gewiſſens erinnern / ſo iſt nicht von nöthen / ſie alſo Hauffen- und Herdsweiſe ihre wilde Kühe zu hegen / ſondern iſt genug / ſie ſich zu ihrer Luſt weniger Wiltperts genüſſen laſſen / denn alſo daraus folgen wird / daß des Wiltpret ſeine beſſere Nahrung ohne des Armen Schaden wohl in Wäldern zu finden / und die Früchte den Armen und gemeinen Nutz / welcher ſonderer Perſonen Nutz in allewege fürzuſetzen. *l. utilitas C. de primipilo. L. 12.* mögen erhalten werden. Herwiederum / wo

die

die Bauleute und Unterthanen gefährlich / wie oben gemeldet / handeln / die Zaunſtecken ſpitzen / erhöhen / das Wiltpret ätzen und ſtellen wollen / hierinnen wird ein jeder Forſt-Herr den Ubertreter ſelber nach geſtalt der Sachen wohl werden zu ſtraffen wiſſen / und nicht von eines wegen / das ein gantz Dorff und Gemeine entgelten laſſen. So iſt auch dieſes hierinn ein Mittel / daß die Bauleuthe etlicher maſſen hegen und ziemliche Zäune machen / die Felder nicht gar offen laſſen: Zu dem mögen ſie etwan das Wiltpret nach Gelegenheit mit ſcheuen / und kleinen Hunden vertreiben / oder durch ihre beſtellte verwahren und verhüten laſſen. Beſchließlichen aber gib ich dieſen Punct, als den Armen zum höchſten beſchwerlich / jedem Forſt-Herrn ſelber auf ſein Gewiſſen / ſich alſo hierinnen zu halten / wie er das gegen GOtt getraue zu verantworten / und daß die armen Unterthanen dennoch auch bleiben können. Hactenus Meurer. d. l. Videatur etiam Churſl. Sächſ. Landts-Ordnung / *de anno 1573. tit.* Abſcheuchung des Wiltprets vom Getreydig Ubi ita cavetur: Nachdem diß Artickels halber vor unſerer Regierung mancherley Klagen vorgefallen / und noch / ſo haben wir den Leuthen / ſo innerhalb und an unſer Wilt-Bahne geſeſſen / gnädiglich nachgelaſſen / daß ſie mit kleinen Hunden / die nicht Jagt-Hunde ſeyn / das Wiltpret abſcheichen; und thun uns darzu gnädiglich erbiethen / welcher hierüber von Wiltpret beſchädiget / und uns ſolches anzeugen und beſcheinen wird / daß wir uns gegen demſelben gnädiglich erzeigen wollen. Pia ſanè & æquiſſima Conſtitutio, modo uſu ſervaretur.

XVIII.

Cæterùm ſeptorum, ſeu tutelarum, quæ tutandi fundi cauſa fiunt, quatuor genera refert M. Varro *de re ruſtica lib. 1. cap. 14. Naturale, agreſte, militare, fabrile.* Primum naturale ſepimentum, quod obſeri ſolet virgultis, aut ſpinis,

quod

quod habet radices vivæ ſepis, ac viatoris prætereuntis laſcivi non metuit faciem ardentem, vulgò ein ſelb-wachſender/ lebendiger Zaun. Secundo ſepes eſt ex *agreſti ligno*, ſed non vivit; fit aut pilis ſtatutis crebris, aut virgultis implicatis, aut latis perforatis, & per ea foramina trajectis longuriis ferè binis aut ternis, aut ex arboribus truncis demiſſis, & in terram deinceps conſtitutis. Tertium *militare* ſepimentum eſt foſſa, & terreus agger. quod genus ſepis fieri ſolet ſecundum vias publicas & amnes. Quartum *fabrile* ſepimentum eſt notiſſimum, *maceria*, à lapide, lateribus coctilibus crudis, vel ex terra & lapillis compoſitis informis. Vetuſtisſimi autores (ait Columella *de re ruſtica lib. 11. cap. 3.*) vivam ſepem ſtructuli prætulerunt, quia non ſolum minorem impenſam deſideraret, verùm etiam diuturnior immenſis temporibus permaneret: itaque vepres efficiendi conſitis ſpinis rationem talem reddiderunt.

XIX.

Utile eſt, hortos ſepimentis munire non tantum, ut ab incurſu hominum pecudumque ſint tutiores, verùm etiam, ut præcaveantur lites & rixæ, quas prædiorum vicinitas excitare ſolet.

XX.

Quæritur autem; Si Titii & Mœvii horti vicini nullo usquam ſepimento interjecto ſejuncti, ac clauſi fuerint, an nihilominus Titius, invito etiam vicino, Mœvio, hortum ſuum ſepto claudere ac munire posſit? Affirm. cum res ſit meræ facultatis, quæ non præſcribitur, licet per mille annos hortus ſine ſepimento fuerit. Et ſanè iniquus eſt vicinus, qui id prohibet, atque ut occaſio rixandi tollatur, pati non vult. Quin imò ſi vicini ſunt rixoſi, magiſtratus ex officio eis pœnali mandato injungere poteſt, ut quilibet prædium ſuum ſepimento claudat.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-154593-p0021-9

XXI.

Quæritur porrò: Si vicinus ſepem ſuam ultra limites prædii ſui in noſtro fundo vi, aut clàm poſuerit, an privatâ autoritate eam rurſus intercidere liceat? Affirmandum videtur, *per l. 7. §. 3. quod vi aut clàm l. 29. §. 1. ad L. Aquil. l. 27. pr. de SUP. l. 22. §. 2. quod vi aut clam.* Bachov. *ad Treutl. vol. 2. D. 18. th. 2. lit. g.* quem ſequitur D. Struv. *tr. de vindict. priv. cap. 6. aph. 7.* add. Speckhan. *cent. 3. claſſ. 3. q. 23. n. 36. & ſeqq.* Joh. Gracke. *de autorit. privat. cl. 2. lib. 3. n. 6. & 7.* Cùm verò deſtructiones ejusmodi privatâ autoritate ſuſceptæ, (quas quidem ſimpliciter rejicit Joh. Vaud. *var. quæſt. lib. 2. q. 30.* refutatus à Bachovio d. l.) teſte experientiâ, plerumque magnis turbis, rixis & injuriis inter vicinos occaſionem præbeant, nobis tutius videtur, officium Magiſtratus implorare, ut ocularis inſpectio fiat, & deſtructio prædii, præviâ ſummariâ cognitione cauſæ, ſequatur; Quemadmodum alicubi ita obſervatum fuiſſe, meminimus. Raró factâ ſepimenti deſtructione vicinus adquieſcit, quin potius injurioſa contradictione moleſtis ac ſumptuoſis litigiis cauſam præbet. Aliud tamen dicendum videtur, ſi non facilis detur copia judicis, vel proceſſuum tædioſa ac ſumtuoſa prolixitas (hodiè proh dolor! frequentisſima) metuenda eſſet, ac deſtructio ſine tumultu in continenti fieri posſit. Injuriæ namque, lites, turbæ, earumque cauſſæ & occaſiones, ac rixæ in civitate maximopere ſunt præcavendæ.

XXII.

Damnum vicino per ſepimenti protractionem datum reſtituendum, ac præterea arbitraria pœna ejusmodi factum illicitum, quod rixis ac litibus anſam præbet, puniendum eſt. Vid. Ordin. Provinc. Bavar. *tit. 26. art. 1.* Ubi ita cavetur: Thut jemand den andern Schaden an ſeinen Gärten durch überzäunen / iſt / daß ſich jener / der den Schaden genom-

nommen hat / mit Lieb und Beten gäntzlich vertragen / oder ihme den Schaden bezahlen läſſet / nach der Nachbarn Rath / der ſoll gegen den Richter kein Entgeltung haben. Wäre aber der Schaden fürſetzlich / oder auß mercklichen Unfleiß beſchehen / und der / welcher ſolches gethan / ſchwiege darzu ſtille / und begehrte nicht ſelbſten den Schaden abzuthun / und alles wieder in vorigen Stand zu ſtellen / derſelbe ſoll durch den Richter der Gebühr nach / und ernſtlich geſtrafft werden.

XXIII.

Porrò quæritur; Si ſepimentum ſit commune, illudque ruptum fuerit, vicinus autem pro parte id reficere nolit, an ad refectionem illius cogi poſſit? Affirm. Implorari poteſt officium Judicis, qui ſub pœna refectionem vicino injungat. Si alter vicinorum ſolus impenſas in refectionem fecerit, portio vicini vel judicio negotiorum geſtorum, vel communi dividundo, repeti poteſt, *vid. l. 4. C. commun. divid. l. 4. §. 3. & ſeq. ff. eod.* Præterea ad reſtitutionem damni tenebitur vicinus, ſi negligentia refectionis neceſſitate per incurſum pecudum alteri prædio illatum fuerit.

XXIV.

Sunt etiam ſepimenta, quæ bannalia dicuntur, Bannzäune / quæ ſubditi circa prædia facere coguntur. De his eſt conſtitutio Bavarica, *ſub tit. 25. art. 1.* ubi dicitur, Es ſollen die Bannzäune gezäunet und befried ſeyn an S. Georgen-Tag; wer das nicht thut / ſo mag der Fronboth erforſchen / wes die Lüken ſey / derſelb ſoll darnach den Fronbothen 12. Pfennig geben / auch der Fronboth demſelben gebieten / zu frieden / in 8. Tagen / thäte derſelbe das nicht / und geſchehe jemand Schaden darvon / der iſt dem Gericht ſchuldig die Buß nach Ermeſſigung des Richters / und ſoll darzu jenem ſeinen Schaden abthun? Videatur etiam Conſtitutio Pro-

vincialis Saxo-Gothana *part. 2. cap. 3. t. 10. ibi:* Es ſollen die Schläge/ und Befriedigungen der Gärten / ſo in verwichenen Kriegs-Zeiten eingangen / von neuen angerichtet werden/ darauff die Beamte/ Gerichts-Herren/ ſonderlich vermittelſt der Schultzen auff den Dörffern / fleißige Auffſicht führen ſollen/ rc.

## XXV.

De hortis ulterius quæri poteſt, 1. *An quis domum ſuam cauſſa hortum faciendi diruere poſſit ?* Quod neg. *per l. an in totum C. de ædif. privat. l. ſenatus pr. de contrah. emt. l. cætera §. 1. & §. hoc Senatus de L. 1. l. ſi quis C. de ædif. privat.* Ruinis namque ædium civitas deformari non debet. Cæpoll. *de ſervit. urb. præd. cap. 76. n. 6.* ubi ait, hoc eſſe notandum contra multos, qui diruunt domos, & faciunt viridaria. Et licet fortè domus aliquo caſu, puta incendio, ruinâ, vel hoſtium occupatione deſtructa fuerit, non tamen permittendum, ut ex area hortus, vel viridarium fiat, qua de re peculiaria civitatum ſtatuta & conſuetudines exſtant, quæ omnino tenendæ.

## XXVI.

Quæritur II. *An liceat hortum ad pratum perducere ?* Affirmat Cæpolla *d. l. n. 7. per l. apud Trebatium 3. §. Si vicinus. 2. de aq. & aq. pulv. arcend.* ubi pro voc. *arvum* vulgata legit hortum. Godofred. *in not. ibid. lit. d.* Sic ex prato vel agro hortum facere licebit, auff den Feldern und Plätzen/ welche nicht Garten-Recht haben/ mögen wohl Garten-Früchte gebauet werden : modò ratione paſturæ, decimarum, tributorum &c. Magiſtratui vel tertio non præjudicetur, ac ſtatuta loci non repugnent ; Hisce enim ex publica ratione libertas iſta immutandi prædia, eorumque culturam juſtè limitari ac reſtringi poteſt. Uſufructuarius autem, qui Dominus prædii non eſt, non poteſt viridarium, in quo habet



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-154593-p0024-6

uſumfructum, ad alium modum, licet meliorem convertere. *l. ſi cui. §. ſed ædium. de uſufr.*

XXVII.

Quæritur III. *An domum habens juxta vicini hortorum, ex illa quidquam in hortum vicini ponere poſſit?* Neg. *l. 1. & ibi Angel. de ſerv. urb. præd.* Et ideò, inquit Cæpoll. *d. l. n. 9.* Si habeo Palatium juxta hortum tuum, licet habeam in pariete meo verſus hortum tuum multas feneſtras, & per mille annos tenuerim, tamen in horto tuo poteris ædificare dimiſſo legitimo ſpatio: *juxta l. fin. fin. reg.* & obſcurare lumina mea in toto, vel in parte. *l. qui luminibus. de ſervit. urb. Præd.*

XXVIII.

Quæritur IV. *Cui cedat hortus, ſi duo fratres domos legatas diviſerint, in quarum medio hortus eſt?* Quæſtionem hanc proponit Cæpolla *d. l. n. 5.* & reſpondet, quod hortus cedat illi domo, pro quâ teſtator illo horto utebatur; Si hoc non apparet, illi domo, per quam habebat intrinſecum aditum ad hortum, *l. prædiis §. qui domum. de l. 3.* Si nec hoc appareat, cedit hortus utrique domui, ſecundum Nicol. de Neapol. *in d. l.* qui ſubdit, quòd ſi conſuetudo Regni diſponat, quòd primogenitus habeat domum, intelligatur etiam, quòd habeat hortum, quippe qui delectationis cauſa ad uſum domus paratus eſſe cenſetur, & ſic pediſſequus domus eſt.

XXIX.

Quæritur V. Si quis legaverit alicui habitationem domus, cui continetur hortus, ad quem per eam aditus habetur, an legatarius teneatur heredi aditum præſtare per domum legatam? Affirm. *per l. ult. pr. ibique Dd. de SUP. Cæpoll. d. l. n. 6.*

XXX.

Quæritur VI. Si rivus hortum meum tranſiens, ex

quo eum ſitientum irrigare ſoleo, molendino publico civitatis inſerviat, ob ſiccitatem verò æſtatis aqua ad molendum vix ſufficiat, an nihilominus partem aquæ ad irrigandum hortum meum derivare poſſim? quod negandum videtur cùm publica civitatis utilitas, atque neceſſitas non permittat, ob privati hominis particularem utilitatem, molæ uſum impedire. Præferendum igitur hîc, quod publicè utile eſt, ei, quod privatorum uſibus inſervit. Extra hunc verò neceſſitatis caſum irrigatio horti libera manet, quamvis ex flumine publico ſine conſenſu ſuperioris ea fieri non debeat; *per jura vulg.*

## XXXI.

Quæritur VII. *An fructus ex ramis arborum, decidentes in hortum vicini, ad hunc pertineant?* De jure communi licet tertia quaque die fructus colligere & aufferre, & ſi vicinus id prohibere velit, competit adverſus eum interdictum de glande legenda. *l. un. ff. de glande leg. l. Julianus 9. §. 1. ad exhib.* Poſt tertium verò diem eos colligere non licet, cum poſtea putreſcere ſoleant; pro derelicto igitur habiti vicino cedunt. Sed hodiè conſuetudine hoc jus abrogatum eſſe, teſtatur Joh. Schneidevvin. *ad §. 31. Inſt. de Rer. diviſ.* Weſemb. in Parat. *tit. de gland. leg.* De jure autem Saxonico fructus ex ramis in hortum vicini propendentibus decidentes, ad ipſum vicinum pertinent. Landr. *lib. 2. art. 52.* Weichbild. *art. 126.* ubi dicitur: Seiner Bäume Zweige ſollen nicht hangen ſeinem Nachbarn zu Schaden. *Gloſſa ibid. n. 4.* Ob du dein Obſt ſchüttelſt/ was davon in deines Nachbarn Hof fället/ daß iſt und bleibet ſein. Diß verſtehe auch/ ob du das Obſt ohne deines Nachbarn Schaden aufflesen mögeſt. Coler. *part. 1. deciſ. 25.* Schulz. *Synopſ. Inſt. de Rer. diviſ. lit. 11.* Vulgò dicitur, der Uberhang. add. Carpzov. *Jur. for. Sax. Part. 2. Conſt. 35. def. 25.* ubi ſequens præjudicium adducitur:

Ste=

Stehen in euren Garten etzliche Obſt-Bäume hart an dem Zaune / alſo / daß die Zweige in eures Nachbarn Garten hangen / und wann ihr ſelbige Bäume ſchittelt / die Früchte von ſolchen Zweigen in des Nachbarn Garten fallen / ſo verbleiben ſolche Früchte nach Sachſen-Recht dem Nachbar billig / und ihr ſeyd dieſelbe in ſeinem Garten uffzuleſen nicht befugt. Ratio hujus juris hæc eſſe videtur, quod arbor ad maceriam poſita in vicini fundum radices agat, & ex eo naturale alimentum ſuum habeat; Et quod rami in fundum noſtrum propendentes umbrâ ſua ei noceant. Præterea hoc jure rixæ & lites, quæ inter vicinos de glande legendâ facilè oriri poſſent, optimè præcaventur. Cæterùm differentiam juris Civilis & Saxonici, in hac re nullam agnoſcit D. Joh. Thomæ. *Tract. de nox. animal. cap. 16. n. 9. & ſeqq.* qui putat, mentem Gloſſæ ad Land-Recht *lib. 2. art. 52.* & Weichbild. in *art. 126.* non fuiſſe, proferre aliquid ſingulare, in quo jus Saxon. à civile jure differat, ut quidem vulgò interpretibus viſum fuit, quamvis collegia juridica hodiè ei opinioni ſubſcripſerint.

XXXII.

Quid verò, ſi vicinus tàm iniquus ſit, ut deneget alteri den Uberhang; Licebitne vicino propria auctoritate ramos ſuccidere? Ita docent Schneidevv. *in* §. *Si Titius n. 5. de Rer. div.* Weſemb. *d. l.* Ludov. Fachſ. *differ. jur. Civ. & Sax. 14.* Verùm nobis mitior ac tutior ſententia placet, quâ querelæ, rixæ, & injuriæ inter vicinos præcaventur, ut ſcilicet vicinus imploret officium Magiſtratus, qui mandato pœnali injungat præſtationem fructuum, qui, jure des Uberhangs / vicino debentur. Id etiam monendum, vicinum petendo ex arbore aliqua den Uberhang / alteri poſſesſionem arboris iſtitus tacitè concedere, adeoque non eſſe audiendum in poſſeſſorio, ſi poſſesſionem ſibi adjudicari petat. Ita nuper in cauſſa quadam inter N. & N. viſum fuit.

XXXIII.

Quæritur VIII. *An liceat mihi radices, quas vicini arbor in meum fundum porrexit, recidere?* Neg. *per l. 6. §. 2. arb. furt. cæſ.* latè Hieron. Mag. *lib. 4. miſcell. cap. 7.* D. Struv. *tr. de vindict. privat. cap. 6. aph. 7. n. 4.* Sed agendum erit negatoriâ: Jus tibi non eſſe radices in meum fundum immiſſas habere; Quæ tamen actio ex mente D. Joh. Ott. Taboris, *ad tit. arbor furt. cæſ. th. 23.* ad effectum interdicti competere intelligenda eſt, ut niſi vicinus radices adimat, ipſe adimere queam, tuque tum interdicto de arboribus cædendis prohibearis mihi adimere volenti vim facere. *l. 1. §. 2. & 6. de arb. cæd.*

XXXIV.

Quæritur IX. *An liceat arborem ex vicini ædibus* (i. e. urbano prædio hortis ſeu ſolo inſtructa) *noſtris ædibus impendentem exſcindere?* Reſp. Si Dominus arboris pertinax ſit, & arborem adimere, ac moleſtiam vicino tollere nollet, ſuccidere poſſe vicinum arborem iſtam & quidem à ſtirpe, ne facile repullulet, & denuò moleſtiam faciat. *l. 1. §. 2. de arb. cæd.* Tabor *d. l. th. 22.* Si verò abor ex meo agro in alienum agrum pendeat, ac vicino agro umbram faciat, eam verò Dominus amputare nolit, licet mihi quindecim pedes à terra altius eam circumcidere: Idque eſt ex LL. XII. Tabb. Cujac. *ad l. 4. §. ſi quis. ſi ſerv. vindic.* Coll. Jur. Arg. *ad tit. de arbor. cæd. th. 6.* Fachin. *lib. 3. conſ. 7. n. 1. & ſeqq.* Adimere enim volenti vim fieri, Prætor prohibet. *l. 1. §. 6. de arb. cæd.* Idque hîc eſt ſublucare, behammeln / quaſi ſubter lucem mittere. D. Tabor. *d. l.* Cum verò ſucciſio ramorum atque arborum, quæ privata fit auctoritate, nunquam non inter vicinos rixas, odia, injurias, exacerbationes animorum & cædes cauſſare ſoleat, hoc cumprimis ævo, quo omnis charitas refriguit, ac rariſſima inter vicinos eſt concordia, tutius forte

ſorte erit, pertinaciam vicini hoc caſu auctoritate judicis coërceri.

XXXV.

Quæritur x. *An liceat animal alienum, quod hortum noſtrum ingreditur, ac damnum dat, exturbare, aut occidere?* De jure civili licet abigere, ſed ut ſuum, id eſt, ſine damno, aliàs ex L. Aquilia abigens tenetur. *l. Quintus 39. §. 1. 1. ad L. Aquil.* quod idem etiam ad caſum præbiti veneni extendunt Panormitanus *ad cap. ſi quis n. 2. de injur.* Publit. *ad couſuet. Arvern. tit. 28. art. 13. n. 3.* ut teneatur etiam, qui eſcam venenoſam projecit; quale exemplum ſuperioribus annis vidimus, ubi Theologus quidam hortum ſuum defendens, venenum gallinis vicinorum involantibus propoſuerat, propter quod is multorum reprehenſionem incurrit, magnaque incommoda ac lites ſuſtinuit: Sanè in anſeribus, gallinis & ſimilibus volatilibus Domino horti quidam poteſtatem ſibi ipſi jus dicendi, & interficiendi talia animalia concedunt. Zobelius *part. 4. differ. jur. civ. & Saxon. 10. num. 3.* Boërius *in conſuet. Bituric. tit. 10. §. 5.* Gallinas in horto inventas de conſuetudine occidi poſſe teſtatnr. Verùm, utut ſecundum ſtatuta quædam & conſuetudines locales, de quibus vid. D. Joh. Thomæ. *tract. de noxiâ animal. cap. 26. n. ſt.* hoc permiſſum ſit, jure tamen Romano defendi vix potee. Secundum Saxonicum Weichbild *art. 120.* gallinis, ſi nocieant, alæ præcidi, non verò occidi debent. Textus ait: Fliegen Hüner in eines andern Mannes Hauß (oder Gartee) und thun ſie ihm Schaden / er mag ſie begreiffen / und ihnan Fittich abhauen / und mag ſie wieder heim ſenden. Quorid cœtera verò animalia, quæ damnum agris vel hortis noſtles inferunt, Jure Saxonico diſtinguitur, utrum animal ſit tan, quod pignorari poſſit, an verò ferocius, quod capere voleetem non admittat. Poſteriore caſu liberum eſt Domino vel

abigere pecus, & illud adſumtis duobus viris ſequi in domum Domini, vel expellere per canes. Land-Recht. *lib. 2. art. 40. gloſſ. Latin. ad lib. 2. art. 47. lit. c.* Coler. *dec. 136.* nec tenebitur expellens, ſi per canes animal vulneratum vel occiſum fuerit. Land-Recht. *d. l. vid. pluribus D. Thomæ d. l.* Priori autem caſu licebit noxam pignorare: quod jus pignorandi non tantùm Jure Saxon. verùm etiam Germaniæ moribus hodiè obtinet. Vid. Berlich. & Carpzov. *ad Conſtitut. Saxon.*

XXXVI.

Quid verò, ſi vicinus, licet ſæpè monitus, per negligentiam (ut nonnunquam fieri ſolet) hortum ſuum nullo ſepimento muniverit, & ſic alienum pecus ingrediens damnum dederit, anne pignoratio, damnique reſtitutio juſta erit? Negandum videtur, quod culpâ ſuâ Dominus damnum patiatur, dum hortum monitus non claudit, quem tamen, aliorum exemplo, claudere poſſet ac deberet. Damnum igitur, quod quis ſuâ culpâ ſentit, non ſentire videtur. Cæterùm cum ſuperiorib. annis in turbis bellicis Germaniæ multis in locis ſepimenta aliaque prædiorum munimenta eſſent rupta ac deſtructa, reſtitutio damni, fortè per depaſculationem animalium dati, non adeò rigoroſè fuit petita, cùm eô tempore calamitoſiſſimo ubique ferè hortorum ruſticorum clauſura & munitio negligeretur.

XXXVII.

Quæritur XI. *An liceat ad defendendum hortum foveam facere, ut pecus in eam incidens pereat?* Sic quidam volunt *per l. qui foveas 28. pr. ad L. Aquil.* Sed rectiùs negatur cum Panormitano & Publitio, *ſuprà cit. loc.* quos ſequitur D. Thomæ *d. tr. c. 26 n. 2.* Secus eſt, ſi fovea ad alium uſum facta fuerit, & pecus forte in eâ perierit. *Vid. Leges Georgicæ Juſtiniani tit. 4. §. 5.* ubi, ſi animal, hortum vel vineam ingreſſum

vel

vel ingredi volens, in vinea foveam vel ſepem horti inciderit, ac perierit, Dominus horti ac vineæ indemnis eſſe jubetur.

XXXVIII.

Quæritur XII. *An liceat iter facienti, ſine crimine furti, hortum vel vineam (non clauſam) ingredi, & in eo pomum vel uvam decerpere, ſi eâ illicò veſcatur?* Affirm. *per text. ſacrum Deuter. cap. 23. verſ. 24. & ſeq. can. diſcipulos 26. de conſecrat. diſt. 5.* dummodò id fiat, ſine vaſtatione aliquâ, pro commoditate tantùm & uſu neceſſario, ut loquitur Imp. Fridericus *in l. ult. 2. feud. 27.* quod tamen ipſum hodiè non ubique impunè fieri cum experientiâ teſtatur Bocer. *tr. de pœnâ furti. cap. 2. n. 105.* D. Tabor. *in Analyſ. artic. 167. Conſtit. Carolinæ th. 8.* add. D. Thomæ. *d. tr. c. 15. n. 24. & ſeqq. Diſſert. noſtr. de præſidio neceſſit. contr. leg.*

XXXIX.

Quæritur autem XIII. *Quâ pœnâ adficiendi fructuum hortenſium fures?* Exiſtimat Carpzovius, *pract. Crimin. part. 2. quæſt. 83. n. 35.* in furto fructuum, nunquam capitalem; ſed tantùm arbitrariam & extraordinariam quandam coercitionem relegationis aut carceris mulctæ, locum habere; cùm judex nunquam certus eſſe poſſit de corpore delicti, ſeu de quantitate iſtarum rerum ablatarum. Noctu tamen commiſſum in hortis furtum ſeveriorem caſtigationem exigit, cùm nocturna iſta ſubreptio, animum planè malignum redarguat, adeoque nullam excuſationem admittat, ſic, ut proditoribus etiam ejusmodi fures æquiparentur apud Senec. *declam. ult. in fin. vid. Ordinat. Crimin. Caroli V. art. 167.* verb. wo aber jemand bey Tage eſſende Früchte nehme. *& artic. ſeq. verb.* als bey Nacht. Tabor. *d. l. th. 6.*

XL.

Cùm verò furta in agris, vineis, ac hortis creberrima

eſſe ſoleant, utile eſt, vigiles, cuſtodes ac defenſores conſtitui, qui alicubi Fluhr-oder Feld-Schützen it. Wein-oder Gärten-Hüter/ appellantur. De his eſt Ordinatio Provincialis Saxo-Gothana *part. 2. cap. 3. tit. 27. ubi hæc leguntur verba:* Dieweil die Feld- und Garten-Dieberey faſt gemein iſt / und niemand das Seinige alldar recht behalten kan / auch durch Wieſen / Aecker und Gärten unnöthiger Weiſe ungebührliche Wege gemacht werden / aber billich dahin zu ſehen iſt / wie daß demſelben Stehlen und ſchädlichen Beginnen aufs beſte geſteuret / und jeder bey dem Seinigen erhalten werden möge: Als wollen wir / daß man bey allen Städten / Flecken und Dörffern / unſerer Fürſtenthümer und Lande darauf bedacht ſey / damit ein oder mehr geſchworne Schützen geordnet / und dieſelbe bey Antretung ihrer Dienſte ernſtlich befehliget werden / auff ſolche Feld- und Garten-Diebe / und die jenige / ſo ſonſten in Feldern ſchaden thun / zu Tag und Nacht gute Auffſicht zu haben / und niemand hierinnen nachzuſehen / ſondern die jenige / welche über der That betreten werden / alſobalden zu pfänden / und die Pfande zum Warzeichen in die Gerichte / alldar ihnen hingegen zu ihrer Pfandgebühr verholffen werden ſoll / nebſt umſtändlichen Bericht / wie es umb den verübten Diebſtahl oder Schaden bewant / einzulieffern.

XLI.

Quæritur XIV. *An liceat furem nocturnum in horto deprehenſum ſclopetâ trajicere, vel haſtâ confodere?* Affirmandum videtur, ſi fiat pro defenſione ſui ipſius vel fructuum ſuorum, & quis furem inclamatum non cognoverit, nec capere potuerit. Vid. Polyd. Ripa. *tr. de nocturn. tempor. c. 14. n. 38.* Damhud. *pract. Crim. cap. 78.* Carpzov. *pract. Crim. q. 32. n. 38.* Si verò hæ circumſtantiæ abfuerint, furis occiſor extraordinariâ relegationis, carceris vel mulctæ pœnâ plecti poteſt.

XLII.

XLII.

Sed Quæritur: *An liceat talia inſtrumenta, quæ vulgò* Selbgeſchoß *dicuntur, in ſepimento ponere, quibus fures nocturni levi attactu perimuntur?* Hiſce quidem inſtrumentis alicubi feris prædia devaſtantibus inſidias ſtrui, novimus, eorum tamen uſus contra homines non adeò probandus videtur, cùm ſurreptio comeſtibilium, pomorum puta, pyrorum, nucum &c. non adeò periculoſa ac damnoſa ſit patrifamilias, ut aliarum rerum domeſticarum, ſæpè pretioſarum. Ea tamen inſtrumenta, quæ ſepimentis injecta, furum pedes ac crura occultè vulnerant, (vulgò Fußeiſen dicta,) rectè adhibentur, ut docet quorundam locorum uſus.

XLIII.

Quæritur XV. *Quâ pœnâ adficiendi, qui arbores furtim nocendi animo ac petulanter cædunt?* De jure Rom. variæ competunt actiones, de quibus Dd. *ad tit. de L. Aquil. & ad tit. arbor. furtim. cæſ.* Conſtitutio criminalis *Caroli V. art. 168.* conſuetudinem cujusque regionis ſervari vult. De Jure Saxon. cædens præter æſtimationem arborum mulctam triginta ſolidorum ſolvere, vel pro ratione circumſtantiarum, ſeveriorem pœnam luere debet, *vid. Conſtit. Elect. part. 4. conſt. 37.* Carpzov. *pract. Crim. quæſt. 83. n. 7. Ordin. Provinc. Saxo-Gothana. part. 2. c. 3. tit. 26.* ubi dicitur: würde jemand einen Obſt-Baum oder Weyden / dem andern zu Schaden muthwilliger Weiſe abhauen / der ſoll / ſo offt es geſchiehet / mit dem Gefängnüs geſtrafft / und do er des mehr denn eines überführet / letzlich des Lands verwieſen werden. Qui verò arbores lucri faciendi gratiâ furantur, pœnæ furti ſubjacent. Coler. *part. 1. deciſ. 144. & ſeqq.* Stephan. *ad artic. 168. Ordin. Crim.* quamvis loco pœnæ ſuſpendii fuſtigatio plerumque dictetur. Carpzov. *d. q. n. 24.*

XLIV.

Quæritur XVI. *Si examen, ſeu nova apum ſoboles ex alveari in horto meo poſito in vicini hortum evolarit, ibique conſederit, an vicino adquiratur?* Affirm. ſi inſcio & ignorante Domino emigraverit, licet vel maximè Dominus poſtea eam viderit, & ex ſuis alveis evolaſſe probare poſſit, propterea, quod illa ſemel ejus dominium evaſerit, & in naturalem libertatem ſe receperit, ideoque meritò fit occupantis. *p. 12. Inſt. de R. D.* Schneidevv. *ad p. 14. d. t. n. 3.* Berlich. *p. 5. concl. 50. n. 14.* Si verò Dominus apum eam ſobolem novam evolare viderit, & inſecutus fuerit, illam non amittit, nec ſi alius prævenerit, & ceperit, illius fiet, ſed Domino reſtituere tenetur. *l. 5. p. 4. de ARD.* Idem jure Saxon. diſpoſitum eſſe, ait D. Struv. *ad π. tit. de acq. rer. dom. th. 16.* quòd *in art. 119.* Weichbild. ſolùm dicatur, quod non ſtatim ejus, qui perſequitur, ſit examen, quippe cui difficilis poteſt eſſe perſecutio, vel qui prohiberi poteſt ab ingreſſu fundi, ſed ipſe potius, in cujus fundo conſedit, poſſit includere & retinere. Verùm D. Carpzovius *part. 4. Conſt. 36. def. 4.* differentiam inter jus civile & Saxon. inducit; hoc jure, examen apum ſimpliciter vicino adquiri ait, per text. Weichbild. *art. 119.* ibi: Fleucht ein Bienſchwarm aus eines Mannes⸗Hauß oder Hoff zu ſeinen Nachbarn / er iſt den Schwarm näher zu behalten / denn jener / der ihm nachfolget / denn die Biene iſt ein wilder Wurm. Ibidem adducit reſponſum, his verbis. Hat euch am 9. Junii jüngſthin ein Bienſtock geſchwärmet / welchen jungen Schwarm euer Weib zwart angeklungen / ſich aber derſelbe / weil ihr ein klein Gärtlein habt / in euers Nachbar Garten / etwan ein drey Meßruthen lang / angehangen: ſo möchte euch bemelter euer Nachbar ſolchen eingefangenen Bienſchwarm / vermöge Landüblicher Sächſiſcher Rechte / woferne bey euch ein anders nicht hergebracht / wie-

derum

derum auszuantworten / und abfolgen zu laſſen / wider ſeinen Willen nicht gedrungen werden. In hâc tamen re conſuetudines locorum variant, quæ ſunt attendendæ. Schneidevv. *d. l. n. 5.* Carpzov. *d. l.*

XLV.

Quæritur ulteriùs : *Si apes alvearia ſua in totum non deſerunt, ſed ſolummodo victus cauſa evolant, an quis eas in horto vel campo ſuo repertas capere poſſet?* Ita videtur dicendum per Gloſſ. Weichbild. *d. art. n. 10.* ubi ait : Wenn eines Bienen ausfliegen / und über die Gaſſen / oder über des Nachbars Zaun kommen / ſo mag ihnen der Herr nicht nachfolgen / ſondern ſie ſind deſſen / der ſie fähet. Verùm Gloſſa eſt intelligenda de ejusmodi evolatione, quæ regreſſum non habet. Apes iſtæ manent in Dominio noſtro, quamdiu evolant ac revolant. *l. 5. p. 2. & ſeq. de ARD.* Moller. *ad Conſt. Sax. part. 4. Conſt. 36. n. 4.* Berl. *d. l. n. 17.*

XLVI.

Quæritur XVII. *An decimæ ſolvi debeant de his, quæ in hortis naſcuntur?* Affirm. *per cap. quicunque & cap. omnes decimæ. de decim.* Cæpoll. *de ſerv. urb. cap. 76. n. ult.* Speidel. *Specul. notab. verb.* zehend. Dicitur : Der Kleinzehend / der von Obſt und von auf den Bäumen Wächſe gereichet wird / prout loci conſuetudo & obſervantia fert. Item Gartenzehend. Vid. Jus Bavaric. *tit. 28. art. 14.* von Gartenzehend / ubi cavetur : welche von den geringen Früchten / als Ruben / Kraut / und dergleichen / die ſie in die Gärten gebauet / kein andern Zehend / als den Garten-Pfennig / oder von Alters her gar nichts gegeben / die ſollen auch darbey gelaſſen / und von ihnen kein ander Zehend begehrt werden. Da aber jemand ſolche ringe Früchte in die Felder / und dargegen das Getraid in die Gärten bauen würde / ſoll er davon den Zehend / von den Garten-Getraid / ſo von neuen in die Gärten

gebauet

gebauet wird / ohn alle Weigerung zu geben ſchuldig ſeyn. Wo auch jemand ſeinen Garten erweiterte / ſoll er von ſolchen neuen Einfang / dem Zehend-Herren / der zuvor auff ſolchem Grund den Zehend gehabt / den Zehend von den jenigen Früchten / die hernach auff ſolchen Grund angebauet werden / reichen / oder ſonſt ſich der Gebühr nach mit ihme vergleichen. Vid. Mandatum Johannis Georgii, Epiſcopi Bambergenſis, *de anno 1628.* apud Addition. Beſoldi, *Theſ. pract. verb.* Zehend. Ubi dicitur: daß ſich etzliche unterſtanden / weite Orth Feldung an ihren Häuſern zu verzeunen / zu verſchrancken / den Zehenden von Geträid / Wießmatt / und auff den Bäumen / ſie darein gebauet / allein der Verzäunung und Verſchranckung halber ungebührlich uffzuhalten / oder auch wohl unverzäunt auszuziehen / &c.

XLVII.

Quæritur XVIII. Si civis in horto ſuo ſuburbano domum habeat, an ſine præſcitu magiſtratûs, pro libitu poſſit in eam habitandi gratiâ recipere, quem velit? Neg. publicè namque intereſt Magiſtratum ſcire, quales homines ſint in civitate vel provinciâ, ne fures, latrones & malæ famæ homines recipiantur. Vid. Ordinat. provinc. Saxo-Gothana. *part. 2. c. 3. t. 27.* Ubi dicitur: In die Gärten-Häuſer ſoll niemand / der nicht das Bürger- oder Nachbar-Recht des Orths hat / ohne ſonderbahren der Obrigkeit Vorbewuſt geſetzt werden.

XLVIII.

Quæritur XIX. *An ſervitus imponi poſſit, ut in horto alterius pomum decerpere, aut ſpatiari, aut cœnare in eo liceat?* Quæſtionem hanc proponit, ac negativè decidit JC. Paulus *in l. 8. ff. ſervitut.* Cujus ratio eſt, quod ea facultas ad utilitatem prædii dominantis nihil pertineat, niſi remotè, & ſecundum quid, quatenus fortè fundus ob hanc commoditatem

tem pluris vendi poſſit, quod tamen tanquam incertum & extra fundum quæſitum, in hâc ſervitutum materie, quæ intereſſe prædiorum *principaliter* ſpectant, non attenditur. Joh. Superior. *in d. l. 8. n. 1.* quem ſequitur D. Frantzke *ad π. t. de ſervit. n. 73.* Quæritur autem ab Interpretibus, quale jus dicendum ſit, facultas iſta in horto alterius competens? Mirè variant auctores noſtri; Nobis eorum arridet ſententia, qui eam neq; uſumfructum, nec uſum, nec merum jus perſonale, ſed genus quoddam anomalis ſeu irregularis alicujus ſervitutis perſonalis eſſe volunt. poſt Petr. Cyn. Coraſ, & alios Frantzk. *d. l. n. 76.* D. Struv. *ad π. tit. commun. præd. th. 33.*

XLIX.

Quæritur XX. *An ſingulis hortorum arboribus à Principe certa acciſia (ut vocant) vel gabella imponi poſſit?* Ut hanc quæſtionem moveamus, occaſionem dedit miniſter quidam aulicus & Cameralis, qui aliquando Principi ſuo impoſitionem hujꝰ generis acciſię perſuadere voluit. Verùm ut omnes eſculentorum acciſiæ admodum odioſæ ſunt, & miſellæ cumprimis plebeculæ oneroſæ, ita & hæ novitate ſuâ odioſiſſimæ, minimeque probandæ, niſi ex ſubditis mancipia facere velis, quod proh dolor! hodiè multis in locis Germaniæ noſtræ fieri, experientiâ docemur. Ejusmodi improbis novorum onerum Architectis pro catenâ aurea, laqueus in præmium deberetur. Non tamen acciſias hortorum fructibus impoſitas ſimpliciter improbamus, ſed in urgentiſſimæ neceſſitatis publicæ caſu moderatas omninò admittimus, cumprimis in iis locis, ubi præcipui & maximi proventus ſubditorum ex hortis ſunt. Vid. Caſp. Klock. *de contrib. cap. 1. & 2.* Tract. noſtr. *de Regali Salin. jure. cap. de vectigali Salis.*

L.

Denique monendum eſt, eum, qui eſt in hortis, ſive in

 ædifi-

ædificiis continentibus, de jure noſtro præſentem dici. §. *ſi verò aliquis. ibique gloſſ. in verb. præſens. Inſtitut. de ſatisd. l. præſens. & l. ſeq. ff. de procurat.* Appellans tamen non dicitur habere facultatem adeundi judicem præſentem, qui eſt in hortis. *l. 1. l. adeundi. quando appell. Capoll. de ſerv. urb. c. 76. n. ult.*

MANTISSA.

# Von Zaun-Recht.

Jus Bavaric. *lib. 3. tit. 16. art. 2.*

## Wie die angebaueten Felder ſollen verfried werden.

Nachdem ſich die Baursleuthe und ander / an etlichen Orthen in unſern Fürſtenthümen faſt beklagen / wie ihnen an ihren angebaueten Feldern zu Winterszeiten / und ehe man ſonſten der Zeit / und gemeinen Gebrauch nach pflegt die Felder zu verfrieden / durch das Viehe / auch ſonſt mit reiten und fahren / Item durch die Förſter / Jäger / und auch die jenige / ſo mit den Stecknetzen ausgehen / mercklicher Schade geſchehe / daraus denn ihnen an ihrer Nahrung Mangel erfolget / und das Getraide unnützlich dardurch verderbet würde. So ordnen und gebieten wir mit Rath unſerer Landſchafft / daß nun füran die angebaueten oder Saat-Felder / an den Orthen / da man ohne das der Gelegenheit nach / des Verfriedens zur Sommer-Zeiten im Gebrauch iſt, im Winter ſowohl als im Sommer nothtürfftiglich verfriedet werden / darob man denn ernſtlich halten / und ſolchen obvermeldten Schaden fürkommen ſoll. Wo auch jemand Förſter / Jäger / oder andere den Baursleuthen ihr angebauetes / ſonderlich das erwachſene Getraide / mit ihrer Unbeſcheidenheit fürſetzlich verderben / ſoll demſelben das Weydewerck auf 3. Jahr niedergelegt / und ſie dannoch zu Erſtattung des

Scha-

Schadens angehalten werden. Es ſollen ſich auch die Bauersleuthe an Orthen / da ſie es thun könten / befleißigen / lebendige Zäune von Hagedorn / oder dergleichen zu machen / und hiermit das Fried-Holtz zu erſparen.

TANTUM
De Jure Hortorum.
*FINIS.*

# TRACTATIO
## *DE*
# CONVENATIONE,
## vulgô Kuppel-Jagten.

### *MEMBRUM I.*

I.

JUre gentium ac civili Romano cuivis, etiam in alieno fundo venari permiſſum eſſe, non habito ullo reſpectu, cujus loci iſtius jurisdictio vel proprietas ſit, vulgò notum eſt. §. *feræ. ibique Dd. commun. Inſtit. de RD.* Pruckmann. *cum alleg. in* §. *venatio c. 6. n. 1.* Ludov. Molin. *de J. & J. tract. 2. diſp. 41. pr.* Heig. *lib. 1. quæſt. 15. n. 13. & ſeqq.* Iſta autem venandi libertas, ſucceſſu temporis, Germaniæ noſtrę moribus, admodum reſtricta ac limitata, immò plebeis ac ruſticis, multis in locis, planè adepta fuit; jure an injuriâ, hîc non diſputabimus, perſuaſum tamen nobis eſt, non injuſtis ex cauſſis, de quibus paſſim videantur auctores, id factum fuiſſe.

II.

De conſuetudine autem Germaniæ jus venandi inter Regalia referri cœpit. Mod. Piſt. *vol. 2. conſ. 14. n. 23. & ſeqq.*

 Evercard.

Everhard. Jur. *conſ. 10. n. 9. vol. 1.* Knichen. *tr. de privil. Saxon. de non provoc. cap. 5.* quod cùm notorium ſit, fruſtra à quibusdam in dubium vocatur. Et quamvis Henr. Roſenthal. *de feud. c. 9. concl. 94.* quem ſequitur Thom. Merkelbach. *apud Klock. vol. 1. conſ. 10. n. 374.* qui etiam Gilkenium. *de præſcript. p. 1. c. 6. n. 71.* conſentientem ibidem adducit, id de venatione majorem ferarum, der hohen Jagten / accipiat, venationem autem minorem inter ſimplicia jurisdictionalia referre malit Thom. Michaelis. *ap. Klock. tom. 1. conſ. 29. n. 627.* Veriùs tamen videtur, indiſtinctè jus venandi Regalibus accenſeri, licet non negemus, in quibusdam Germaniæ provinciis venationem minorum ferarum adhuc magis liberam minusque reſtrictam eſſe, quàm majorum, da Freyebürſch iſt / liberiorem etiam Nobilibus permitti quàm plebeis.

III.

Cùm verò venatio hodiè per conceſſionem vel inveſtituram Cæſaream, Principibus ac Nobilioribus Vaſallis, docente id ipſum quotidianâ experientiâ, regaliter competere ſoleat. Knichen. *comment. ad priv. Saxon. part. 4. q. 8. n. 12.* Cujac. *lib. 5. feud. ad Conſt. Friderici de pace tenend.* ubi formaliter ſcribit: *Et ſanè ab Imperatore hodiè in inveſtituris feudorum ſpecialiter jus venandi Principibus & Nobilioribus Vaſallis pro beneficio concedi ſolet.* Ea certis limitibus territorii, caſtri, diſtrictus, vel jurisdictionis includitur; undè etiam vulgò venationes jurisdictionis commoda & fructus dicuntur. Knichen. *de jure territ. c. 4. n. 94.* Roſenthal. *de feud. cap. 5. concl. 24. n. 3. & concl. 94. n. 8.* Ubi ait: inſpectâ Germaniæ conſuetudine, & diſpoſitione textus *in* §. *nemo retia. de pace tenend.* ferè eſſe, ut venatio in dubio, imperio aut jurisdictioni, aut Regalibus cohæreat.



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-154593-p0040-5

IV.

Non igitur, ut olim, ita hodiè permiſſum eſt, in alieno fundo venationes exercere, ſed ut ſunt certi agrorum ac jurisdictionum fines, ita & venationum aliorumque jurium certi termini ac limites, quos excedere minimè licet. Vaga namque venandi licentia, cùm, teſte experientiâ, infinitas rixas, turbas, vulnera, ac cædes inter vicinos excitare ſoleat, meritò legibus coercita penitusque ſublata fuit. Non poſſumus igitur non maximè laudare Conſtitutionem Saxonico-Electoralem, quâ cuivis, venandi jure gaudenti, ſub pœnâ centum florenorum, injungitur, ut intra terminos ſui diſtrictus ac jurisdictionis ſeſe contineat, nec in aliorum agris ac ſylvis venandi libertatem ſibi vindicet, quæ ſaluberrima Conſtitutio benè obſervata cauſam & occaſiones multarum litium & querelarum tollit. Verba autem conſtitutionis Divi Electoris Auguſti, *ſub tit.* daß keiner auf des andern Grund und Boden / Jagen / Hetzen / und Weydewerck treiben ſoll *hæc ſunt:* Als mannigfaltige Klagen an uns gelanget / wie daß von der Ritterſchafft / unter einander einer dem andern / auf ſein und ſeiner Leuthe und Unterthanen Gerichte / Grund / Boden und Gůthern zu Jagen / zu Hetzen und Weydewerck zu treiben / ſich anmaſſen / daß auch hierůber / ſonderlich durch die Jugend / allerley Gezäncke / Irrung und Widerwill ſich zuträgt; Damit nun ſolche Irrunge / und die vielfältige Klagen auffhören mögen / wir uns auch zu erinnern wiſſen / daß der Hochgeborne Fürſt / Herr Moritz / Hertzog zu Sachſen / Churfürſt ꝛc. unſer freundlicher lieber Bruder Seel. und wir hiebevor auff gemeiner unſer Landſchafft Anſuchen / in einem offenen Ausſchreiben / unter andern Verſehung gethan / daß ein jeglicher Orth ſein und ſeiner Leuthe eigenthůmlichen Gůthern und Gehöltzen / zu Jagen / Hetzen / und Weydewerck zu treiben / und einer dem an-

dern / auf ſein und ſeiner Leuthe Gerichten / Güther / Grund und Boden ohne ſeinen Willen zu Jagen / Hetzen / und allerley Weydewerck zu treiben ſich gäntzlich enthalten ſolle. So wollen wir daſſelbe Ausſchreiben / auff gemeiner Landſchafft unterthänige Bitte und Vergleichung hiermit erneurt haben: Erneuren und erklären daſſelbe / wie folget / nemlich / daß ein jeder mit Jagen / Hetzen und Weydewerck zu treiben / auf ſein und ſeiner Leuthe Eigenthum bleiben / und eines andern Güther damit nicht berühren ſoll / ungeacht einiges Fürwendens / daß es anders herbracht / und im Brauch gehalten / alles bey Pön hundert Gülden / ſo offt einer gegen den andern dißfalls verbricht / und ſolches überwunden und nicht laugnen kan / halb in unſer Cammer und die andere Helffte demjenigen / ſo den Schaden leidet und den Verbrecher angezeigt / verfallen zu ſeyn.

V.

Conſonat noviſſima Ordinatio Politica Magdeburgica *Dn. Auguſti*, *cap. 30. ubi ita diſpoſitum legitur*: Nachdem durch das Jagen / Hetzen / Schiſſen / und ander Weydewerck treiben / auff eines andern Grund und Boden / nicht allein an den Feld-Früchten groſſer Schaden geſchiehet / ſondern auch hierüber unter unſern Unterthanen viel Zanck / Widerwillen / und ander Unglück ſich zuträgt. So ſetzen / ordnen und befehlen wir / daß hinfürters ein jeder mit Jagen / Hetzen / und Weydewerck treiben / auff ſeinem und ſeiner Leuthe Eigenthum / Grund und Boden bleiben / und eines andern Güther / Grund und Boden nicht berühren ſoll / es geſchehe dann mit deſſelben Nachlaſſung und guten Willen / oder er wäre deſſen von Alters hero befugt und in poſſeſſione vel quaſi, darbey daſſelbe ſo lange zu ſchützen / biß er durch ordentlich Recht daraus geſetzet.

VI.

Quamquam verò laudatæ Conſtitutiones, quarum ſimi-

ſimiles in aliorum Principum provinciis editæ, ſimpliciter prohibere videantur, ne quis in alterius fundo venationem ullam exerceat, convenationes tamen, quas vulgò Kuppel-Jagten vocant, legitimè adquiſitæ, minimè cenſeri debent prohibitæ; quo faciunt verba dictæ Conſtitut. Electoralis, §. Wo aber: ubi ita legitur: wo aber einer/ oder mehr/ mit dem andern vermengte Güther hätten/ die/ oder dieſelbigen/ werden ſich mit einander berührte Jagten/ Hetzen und Weydewerck zu treiben/ unter ſich ſelbſt deßwegen nachbarlich und freundlich zu vergleichen wiſſen. Und ſollen andere ſich der Ende/ einig Weydewerck zu treiben/ gäntzlich enthalten. So auch etzliche von Adel wären/ die vor Alters biß anhero durch Verträge/ oder ſonſt mit einander/ Hirſche/ Schweine/ Rehe und dergleichen Wiltpret gejagt/ die werden ſich deßwegen hinführo ſolcher Jagten halber/ ihrer Gelegenheit nach zu vergleichen wiſſen. Idem Jus convenandi expreſsè probat Ordinatio Ducalis Magdeburgica, *de cap. 30.* ibi: Er hätte denn die Koppel-Jagt von Alters darauf hergebracht.

VII.

Cùm igitur hactenus probatum ſit, convenationes certo modo, tàm de jure quàm conſuetudine Germania licitas ac permiſſas eſſe, de earum naturâ paulô pluribus heic agere conſtituimus.

VIII.

Convenatio, jus convenandi ſeu ſimultanea venatio, vulgò dicitur Kuppel- vel Koppel-Jagt: die Samtjagt. Balth. Zahn. *ichnograph. jur. municipal. cap. 75. n. 9.* item Coppeljäid: Mitjagt: corruptè à copulâ, ut apparet; ſicuti *copula canis* exponitur eine Koppel-Hunde Land-Recht. *lib. 2. art. 61.* Joh. Gryphyander. *Oecon. legal. lib. 1. cap. 18. n. 19.*

IX.

Eſt autem convenatio jus ſeu poteſtas, quâ in alieno

fundo,

fundo, cum ipſo Domino vel tertio quodam, ſimul venari licet. Hanc defintionem, ſeu qualem qualem deſcriptionem, quæ ſequuntur, declarabunt.

X.

Differt ſimultanea venatio Kuppel-Jagt / à venatione v. g. inter duos vel tres fratres, ejusdem fundi poſſeſſores, communis, gemeine Jagten: v. g. Wenn ihrer viel eines Geſchlechts ein Dorff haben / oder ihrer viel hätten vermengete Güther / und faſt gleichviel und ſämmtliche Gerichte. Convenatio, uti hîc accipitur, eſt in alieno fundo, communis autem venatio in communi & noſtro. Alii tamen terminos promiſcuè accipiunt.

*MEMBRUM II.*

# CONVENATIO CUI ET QUATENUS COMPETAT.

I.

CUm juxta ſuperiùs tradita, in alieno fundo venari nemini liceat, ſpontè ſequitnr, quòd, qui convenationem ſeu ſimultaneam venationem, in alienis agris vel ſylvis ſibi adſerat, id probare debeat. Præſumtio namque eſt pro naturali prædii libertate. Venationes autem ad inſtar ſervitutis in alieno ſeſe habere, vulgò traditur. Merckelbach. *apud Klock. vol. 1. conſ. 8. n. 234. & n. 249.* Generoſ. Dn. à Seckendorff. *part. III.* Teutſcher Fürſten-Staat. *cap. 3. num. 4.* Ubi ait: Daß ordentlicher weiſe ein jeder Jagt-Herr auf ſeinem und ſeiner Unterthanen Grund und Boden des Jagens allein befugt / und da er an einem andern Orth / nebſt dem Eigenthums-Herrn oder andern zu Jagen berechtiget ſeyn will / welches man Koppel-Jagt nennet / muß ſolches von ihme klärlich beſcheiniget werden können / bleibt auch Rechtswegen insgemein /

gemein / ein jeder in dem Bezirck / und der Gräntze / welche von Alters her geſetzt / auch wohl abſonderlich mit Jagt-Steinen / Hege-Seulen und dergleichen Zeichen vermerckt iſt.

II.

Quæritur autem: *An Princeps ſeu Dominus territorii, vi jurisdictionis foreſtalis*, Krafft habender Fürſtlichen Obrigkeit / *in ſubditorum ac Vaſallorum ſuorum agris convenanni jus*, das Mit-Jagen *habeat?* Affirmat Chr. Beſold. *Theſ. pract. verb.* Jagen. allegans Bidembach. *quæſt. nobil.* 12. per rationem; quòd Principes Imperii à SS. Cæſareâ Majeſtate cum jure Foreſti, omnimodaque venatione, mit aller Förſtlichen Obrigkeit / Jagten und Jagens-Gerechtigkeit ꝛc. per alienos, & ſic Nobilium agros, inveſtiri ſoleant Montan. *de feud. lib. 2. cap. 2. §. quandocunque autem.* Add. Wehner. *Obſ. pract. v.* Forſt-Recht. *ubi ait:* videbatur diſtinguendum eſſe, an venationes à Dominis territoriorum conceſſæ eſſent, ut eo caſu Domino ſimul jus venandi competeret, cùm Domini jus illud non privativè ſed cumulativè in Nobiles transtulerint, per autoritatem Schraderi *de feud. part. 10. ſect. 5. n. 174.* Vel an jure ſervitutis Nobiles venationem in alienis prædiis obtinerent. Cùm verò uſu receptum ſit, ut venationes etiam in alienis prædiis exerceantur; maximè ſi Nobilium intervenerit patientia, vix erit, ut Nobiles Dominos in ſimultaneâ venatione impedire poſſint &c. Sic illuſtriſſimi Comites Schvvartzburgici, in plerorumque Vaſallorum ſuorum prædiis convenationem exercent, quam die Vor-Jagten / appellitant. An autem totius Germaniæ Praxis hanc Bidembachii ſententiam firmet, dicere nolumus. Variant namque ſtatuta ac mores in his ſimilibusque materiis pro locorum diverſitate.

III.

Præterea competit jus convenandi vicinum noſtrum

vel prædia poſſidenti, & quidem ex variis cauſſis, de quibus membro ſequente dicemus.

IV.

Competit jus convenandi diverſimodè; vel ita, ut convenatio, exempla juris compaſcui, ſit mutua & reciproca, ſc. ut Titius in Mævii & hic in Titii agris & ſylvis eam exerceat, quod plerumque fit, quando duorum vicinorum agri ſunt intermixti, uff den vermengten Feldern und Gůthern; quo tamen caſu frequentius jus convenandi minoris generis feras, Rehe/ Haſen/ Fůchſe &c. concernit. Vel competit non reciprocè; quando Mævius vicinus, in cujus agris convenatio nobis debetur, eam in noſtro fundo exercecere non poteſt. Et in hâc re vetuſtas & antiquus uſus cumprimis inſpici debet.

V.

Poteſt etiam ſimultanea venatio duobus competere, uni, qui jurisdictione munitus eſt: alteri, cui quidem nulla jurisdictio, ſed æqualis venatio ſimul competit. Andr. Knichen. *lib. 2. de part. inveſtitut. cap. 2. n. 54.* quem refert Wehn. *Obſ. pract. v.* Forſt-Recht.

VI.

Præterea convenandi jus Titio & Mævio in Caji fundo vel ſylvâ ſimul competere poteſt, ita, ut Caji ſit proprietas ac jurisdictio fundi, venatio autem, jure quodam ſervitutis, ad vicinos pertineat, uti nuperrimè ejusmodi exemplum in C. S. vidimus: Ejusmodi tamen exempla rariora ſunt. Moribus namq; Germaniæ ferè, & in dubio Venatio jurisdictioni cohæret, & inter ejus fructus ac commoda refertur. Seb. Medic. *de venat q. 2. part. 2. n. 4. & ſeq.* Zaſ. *conſ 6. vol. 2.* Cacher. *dec. 45. n 12.* Dec. *conſ. 147. n. 2.* Licet argumentum, quo tamen multi abutuntur, *ſimpliciter* & perpetuò non procedat. *Mea eſt jurisdictio hujus fundi, E. etiam jus venandi in eo,*

jura

Jura namque Regalia & jurisdictionalia unius ejusdemque loci ſæpisſimè inter plures ſolent eſſe diviſa, quod quotidiana Germaniæ praxis abundè teſtatur. Tutius igitur eſt, in hâc re conſuetudinem, longævum uſum ac immemorialis temporis poſſesſionem ſequi.

VII.

Illud etiam monendum, convenationem, teſte experientiâ, frequentiùs in agris ac prædiis, quæ circa territorii ac jurisdictionis fines ſita ſunt, exerceri; facile enim vicinus noſter, cumprimis potentior, vel ipſe vel per officiales ſuos, fines ac limites ſui territorii extendere, & longo uſu jus venandi vel aliud ſimile, ſibi adquirere poteſt, cumprimis, ubi termini finales non habentur, wo keine richtige Jagt-Gräntzen/ Hegeſäulen und Merckunge verhanden. Undè non poſſunt non perpetuæ inter vicinos rixæ ac lites oriri. Verisſimum eſt, quod Caſp. Klockius, *vol. 1. conſ. 50. n. 40.* ſcribit: Daß die tägliche Erfahrung zu erkennen gebe / daß die potentiores und deren Beamten den jurisdictionalien (idem eſt in venationibus) mit übergriffen hefftig nachtrachten / und die ſchwächere ſich deren allgemagſam zu begeben nöthigen. Quod etiam innuit Hoſtienſis *in cap. 1. de offic. Ordinar. in 6.* quem refert Capycius. *deciſ. Neapol. n. 34.* ubi ait: illum textum (*in d. cap.*) eſſe contra Principes & provinciarum Præſides, qui licet in aliquibus locis ſibi ſubjectis non habeant jurisdictionem, niſi in certis caſibus, tamen quoad illos caſus conſtituunt tales officiales, qui quodammodo per alluvionem & latenter trahunt ad ſe omnem jurisdictionem: nam potentioribus pares eſſe non poſſunt. Tales miniſtri, cùm in Aula Principis ipſorum vigilantiam, & extendendæ jurisdictionis ſtudium, licet injuſtisſimum commendari audiunt, aliena involandi, litesque inter vicinos ſerendi, animoſiores redduntur. Ab iis ſepè audias.

dias. Ein treuer Diener müſſe ſeines gnädigſten Fürſten und Herrn Gräntzen und jurisdiction zu erweitern trachten/ es geſchehe auch / uff was weiſe es immer ſeyn könne. Sed ubi Principis juſtitia? ubi officialis conſcientia? Sic ſi vicinus in tuo fundo forte convenationem habeat minorum ferarum, cujus uſus ſequentior eſſe ſolet, eam ad majores feras extendere, immò ſucceſſu temporis, tecum de jurisdictione & venandi jure diſputare, tibique jura omnia negare, non dubitabit. Hæc uſus & experientia in Germaniâ noſtrâ quotidiè docet, & inferiorum cumprimis querelæ loquuntur.

*MEMBRUM III.*

# EX QUIBUS CAVSIS CONVENATIO COMPETERE SOLEAT?

I.

Variis ex cauſſis jus convenandi in alieno fundo adquiritur, Principes, uti ſuperiùs diximus, nonnunquam illud in Vaſallorum agris, vi jurisdictionis foreſtalis exercent, quandoque etiam vi præſcriptionis in vicinis extraneorum prædiis eo utuntur. Vid. Dn. à Seckend. *d. tr. c. 3.* tit. Wildban. *verſ.* nechſt dem ibi: Die Herrſchafft an einem Orthe nicht allein / ſondern mit und neben andern fremden oder im Lande geſeſſenen zu gebrauchen hat.

II.

Plerumque convenatio competere ſolet I. *vi præſcriptionis, conſuetudinis, ac longiſſimi uſus.* Cùm enim antiquis temporibus venationes magis eſſent liberæ, nec certi earum limites, ut hodiè, poſiti, in alieno etiam venari frequens eſſet, accidit, vicinum, factâ poſtea jurisdictionum ac territorio-

toriorum diviſione ac diſterminatione, convenationem ſibi in alieno retinuiſſe. Et hæc videtur eſſe prima convenationum ſive occaſio, ſive cauſſa & origo.

III.

II. *Vi transactionis.* Frequentiſſimæ & acerrimæ ſolent eſſe lites, circa jus venandi, propterea, quòd Principes & Nobiles ferè omnes venationibus maximè delectentur, iisque debiti ſint, undè non raro ob unius leporis vel capreolæ capturam, vel etiam ob minimam ſylvæ vel ſterilis agelli particulam, magnæ turbæ oriuntur. Accidit igitur, amicabili compoſitione (quam etiam hâc in re ſuprâ laudata Conſtitutio Saxonica cumprimis ſuadet & commendat) litem hanc inter vicinos tolli, & convenationem alteri in alterius fundo certo modo permitti.

IV.

III. *Vi ſententiæ & rei judicatæ.* Nulla enim ratio juris impedit, duos vel plures in eodem fundo venationes exercere, adeoque ſimul in poſſeſſione eſſe. Licet enim conſtituti juris ſit, duos in ſolidum unius rei poſſeſſores eſſe non poſſe. Vid. Gregor. Biccius & Julius à Beyma, *in tract. ad l. 3. ff. de adquir. vel amit. poſſeſſ.* Illud tamen axioma in rebus incorporalibus, utpote jurisdictionalibus, ſervitutibus & aliis juribus non obtinere volunt, *per text. in l. qui per certi 15. commun. præd. l. Lucio. de aqua quotid.* Quemadmodum etiam in terminis venationis ſcribit Zaſius *in l. 3. p. ex contrario. concluſ. 14. & ſeqq. de AP.* non eſſe novum nec infrequens, nec exemplo aut ratione carere circa venationum controverſias, ut in iis, ſi uterque poſſeſſionem probet, pro utroque judicetur, cùm plures ſucceſſivè eodem hoc jure in uno eodemque loco uti queant. Cum quo convenit Autor Conſilii, apud Meurer. *tr.* von Jagt- und Forſt-Recht. *part. 4.* §. Dann erſtlich. *qui ita ſcribit:* daß in ſpecie auff einem

Grund und Boden viel Perſonen/ zumahl jus venandi, piſcandi, aucupandi, und dergleichen conſtituirt werden möge/ und daß ſich dieſelben/ in Geſamtſchafft/ oder ein jeder inſonderheit nach dem andern gebrauchen könte / gibt die tägliche Erfahrung / und hat auch Kläger in gegenwärtigen Streit/ niemahls angezogen/ daß die von Adel im Fürſtenthum N. auff ihren Güthern je und allewege gejagt haben/ und daß doch nichts deſtoweniger die Fürſten auff demſelbigen/ als ihren Wiltbahn/ jederzeit gejagt haben / und daß doch nichts deſtoweniger/ ſo nun ſolches biß anhero geſchehen / alſo gehalten worden. In quam ſententiam, quoad poſſeſſorium, Camera Imperialis, *in causâ* Teutſchmeiſter contra Würtzburg/ *10. Mart. anno 1596.* his verbis pronunciavit: quòd Epiſcopo non licuerit Klägern an ſeiner poſſeſſion vel quaſi der Wiltjagens und Wiltwercks-Gerechtigkeit / auff den in Actis ſpecificirten Orthen zu turbiren und zu verhindern ꝛc. Similiter, *anno 1605. 12. April.* in Sachen Oettingen contra *Brandenburg.* Thom. Michael. *apud Klock. Vol. 1. conſ. 29. n. 703. & ſeqq.* ubi etiam Bartolum *in l. 3. pr. uti poſſid.* & Abbatem. *in c. auditis. n. 8. de præſcript. allegat.* Eadem fundamenta ac præjudicia in ſimili causâ adducit Thom. Merckelbach. *apud Klock. Vol. 1. conſ. 10. n. 437. & ſeqq.* Atque ita Collegium Juridicum Jenenſe, in cauſſa G. contra S. die Schwein-Jagten in W. betreffend / ſuperioribus annis pronunciaſſe, meminimus. Add. Meiſchner. *tom. 1. deciſ. 42. n. 2. ubi ait:* duo in ſolidum jura incorporalia poſſidere queunt, etiam de conſuetudine Germaniæ, puta, quod Titius habet jus venandi, & Sejus habet jus convenandi in loco & Wehner. *obſerv. pract. verb.* Forſt-Recht.

V.

IV. *Vi pacti diviſionis hereditariæ*, vermöge alter Verträge/ Brüder-oder Vetterlicher Theilung. Interdum commoda

moda venationem diviſio fieri nequit, vel ea huic aut illi non placet, undè invicem partes controvertentes paciſci poſſunt de mutuâ convenatione concedendâ. *Vid. d. Conſt. Saxon. ibi:* die von Alters biß anhero / durch Verträge / oder ſonſten mit einander gejagt ꝛc.

VI.

v. *Vi inveſtituræ feudalis:* Poſſent exempla adduci, ait Wehn. *d. l.* daß ſolche Kuppel-Jagten unterſchiedlichen Herren zugleich vom Stifft Würtzburg zu Lehen verliehen worden. Reliquos modos, & cauſas & in materiâ Regalium & jurisdictionis uſitatas, lubentes præterimus.

## *MEMBRUM IV.*

# QUOMODO CONVENATIO EXERCEATUR.

I.

Communio diſcordiam parere dicitur, ſic & convenatio, dum alter alterum venando prævenire ſolet. Sciendum autem eſt, quòd in exercendis venationibus tempus à Principe vel Superiore, vigore jurisdictionis Foreſtalis, præſcriptum, omninò ſervari debeat, niſi quis in pœnam legis, vel Mandati incidere velit.

II.

Tempora autem venationum pro locorum diverſitate variant. In terris Saxonicis venatio majorum ferarum initium ferè habet à Feſto Trinitatis usque ad diem Andreæ; ſive à die Johannis Baptiſtæ usque ad Feſtum Natalitiorum: venationis autem inferioris exercitium incipit à die Bartholomæi, usque ad tempus Bachanaliorum; Vel etiam à die Ægidii, usque ad diem Petri. Videatur Ordinatio Electoralis-

ſalis-Saxonica; ducalis Magdeburgica; Saxo-Gothana, loc. cit. Ordinatio Bavarica *c.3.* cervorum venationi præſcribit. *1. Julii usque ad 6. Sept.* aprorum, diem Galli usque ad natalem Domini; minorum ferarum, Feſtum Michaelis usque ad Natalem domini; capreolarum, Feſtum S. Johannis usque ad Feſtum Paſchatos.

III.

Cauſſam determinationis hujus exponit Dn. à Seckend. *d. loc.* §. *6. ubi ait:* Zu Erhaltung des rechten Gebrauchs und pfleglicher Ubung des Weidewercks wird vornemlich dieſes geordnet / daß die Jagten nicht das gantze Jahr / noch zu der Zeit / da das Wiltpret und Gethierig ſich paaret / und vermehret / oder etwa der Fütterung halben gering und wenig nutzbar iſt / ſondern zu gewiſſer bequemer Jahrs-Zeit getrieben werden mag. Accedit & alia ratio, ne fructibus agrorum per venationes damna inferantur; undè, nonnunquam tempus venationum à ſuperiore per mandata pœnalia immutatur, ſi forte ob imbres ac tempeſtates, agrorum fructus ante diem Barthomæi colligi nequeunt, & meſſis tempus prorogari debeat.

IV.

Qui igitur jus convenandi in alieno fundo exercere volunt, ſtatutum tempus obſervare debent, quòd cùm ſæpiſſimè à vicinis malitiosè negligatur, pœnali mandato transgreſſio iſta rectè coercetur. Vid. Mandatum D. Joannis Georgii, Saxon. *de Anno 1629.* (*in Corpore Saxon. novo pag. 165.*) ubi inter alia hæc leguntur: Wir werden auch berichtet / daß von vielen unſeren Unterthanen in verbothener Zeit / ſo bald nur das Feld ein wenig geräumet / und alſo vierzehen / auch wohl mehr Tage / vor Bartholomæi zum Jagen der Anfang gemachet / und hiedurch / bevorab in Kuppeljagten / alles weggehetzet werde / welches / weil es unſerm Ausſchreiben

und Landes-Ordnung ſchnurſtracks zuwider / wir hiermit noch-mahln zu allen Uberfluß wollen verbothen haben. Würde nun jemand in ſolcher verbothenen Zeit von ſeinen Nachbarn dar-über ergriffen / der ihn ziehen ſehen / und ſolches nicht ange-zeiget / käme aber über kurtz oder lang an Tag / ſo ſollen bey-de Theile mit anſehnlicher Straffe (ſintemahl ſie ſich die ge-ſatzten hundert Gülden nicht abhalten laſſen) willkührlich be-leget werden.

V.

Quæritur autem: *An ipſe Princeps vel Superior tempus illud venationibus præſcriptum, obſervare teneatur?* Quod negandum videtur, per *l. Princeps ibique Dd. de legib.* cumprimis in ſuo venetur. Non malè tamen facit Princeps, ſi proprio exemplo Mandatis ſuis auctoritatem majorem conciliat. Undè Dn. à Seckend. *d. l.* teſtatur, daß der Landes-Herr ſelbſt die Jagt-Zeit / auſſer ſonderbahren vorfallenden Urſachen zu halten plege. Sanè in quibusdam locis, ut in C. S. ex longævo uſu ſuperiori Domino alicubi competunt die Vorjagten / daß er etwa 8. Tage vor Bartholomæi die Gräntz-Jagten exerciren mag / quæ conſuetudo non videtur eſſe iniqua, ſi per abuſum non extendatur.

VI.

Quæritur ulteriùs: *An convenatio altero inſcio & invito exerceri queat?* Negat Joh. Jac. Speidel. *in Specul. notabil. verb. voc.* Jagt / ne ſcilicet alter commodo & jure ſuo, alterius facto privetur, cùm facile fieri poſſet, ut unus alterum venando & capiendo præveniret, ita ut convenatori, vel ei, cui jus der Kuppeljaid competit, nil niſi inanis labor, vel ein koſtbahres Fehl-Jagen remaneret. Conſentit. Joh. Gryphiander. *Oecon. legal. lib. 1. cap. 18. n. 19.* ubi ait, quòd unus absque alio hoc jus, utpote, *individuum*, exercere non poſſit, allegans in hanc rem *l. itinere. de ſerv. ruſt. præd.* Mohr.

*tr. de venat. lib. 2. cap. 7. n. 17.* Novimus tamen in Thuringia aliter obſervari, dann wenn Bartholomæi vorbey iſt / darff ich meinen Nachbar / oder den der mit mir zu Jagen hat / nicht fragen / ob er Jagen will oder nicht / ſondern wer eher kommt / der hat das Vortheil zu Jagen / und wenn gleich ſein Gräntz-Nachbar kommt / und er hat nur ein Garn angebunden / ſo muß der letzte weichen. Et hanc obſervantiam teſtimoniis ſuis venationum Præfecti firmare non dubitant. Fatemur tamen, æquius eſſe, ſi venationes ſimul & conjunctim exercerentur; ita enim multæ lites ac querelæ, quas præoccupatio excitare ſolet, præcaveri poſſent. Nimirum in materiis venationum ſemper conſuetudo & mos regionis attendendus eſt, qui efficere in venationibus poteſt, ut hoc vel illud prohibitum cenſeatur, efficere quoque rurſus poterit, us propter illum in venationum juribus liceat, quod alias illicitum, vetitumque eſt. Gylman. *in ſymph. ſupplic. tom. 2. part. 1. vol. 1. in punct. 2. de probat. venandi. n. 33.* Pruckman. *conſ. 22. n. 46. vol. 2.* Zahn. *ichnograph. jur. municip. cap. 75. n. 16.*

VII.

Quæritur autem: *Si duo vel tres ſimul venentur, quomodo præda dividi debeat?* Diſtinguit Gryphiander, *d. l. n. 20.* an ſeorſim venentur, ut tantum cuique adquiratur, quantum cepit: an verò conjunctim, ut præda ex æquo dividatur. Addimus Wehnerum, *d. loc. ubi ait:* Poteſt ſimultanea venatio, geſammte Jagt / gemeine Jagen / & conjunctim & ſeparatim exerceri, ſammt und ſonders zu Jagen: quo tamen caſu hæc ferè limitatio obſervari ſolet: Wenn je zween oder mehr eine Kuppel-Jagt mit einander gemein haben / und jedweder ſammt und ſonders / ungehindert des andern / Jagen und Weidewerck treiben mag / daß doch allewege zu Herbſt-Zeiten / und nachdem die Beer in den Weinbergen abgeleſen / das erſte Jagen von beyden oder allen Theilen

ſämmt-

ſämmtlich / uff zuvor beſchehene nachbarliche Jahr-Vergleichung ſolcher Orth bejagt / was auch darvon Enden gefangen / in zween oder mehr Theil ausgetheilt / davon jeder einen haben und nehmen ſoll / ohne gefehrde.

VIII.

Cum convenatio plerumque pariat rixas, utile eſt, compaſculationis exemplo, uſum venationum dividi. Quæ diviſio fieri poteſt vel juxta *certa loca;* ut v. g. in his Titius, in aliis Mævius venetur: vel juxta certa *tempora;* ut alternatim, vel certis diebus alter venationem exerceat: vel quoad *certas feras*, ut hic minores, alter majores feras; vel hic capreolas, alter lepores, quoad certum numerum, capiat. Add. Wehner. *obſerv. pract.* verb. Forſt-Recht. *pag. 165. ubi ait:* æqualitatis concordiæque ratione ſæpè inter eos, qui ſimultaneam venationem habent, ut quilibet certo loco venationem exerceat, daß jedweder ſeinen gewiſſen Bezirck beſuche / und daſelbſt jage / dahin man ſich de perſonâ ad perſonam temporaliter vergleicht / unbegeben der geſammten Jagts-Gerechtigkeit.

## *MEMBRUM V.*

# CONVENANDI JUS QUOMODO EXSTINGUATUR?

I.

Ut Regalia ac jurisdictionalia per nimium abuſum amittuntur, ita & venationum jura, quando ſcilicet Nobiles & Vaſalli, ut non rarò fit, mandata Principum pœnalia, quæ certum venationibus modum præſcribunt, doloſè transgrediuntur. Abuſus autem venationum varii ac multiplices



ſunt;

ſunt; & vix ulla jura pejus exercentur, quàm quæ venationem concernunt, ab illis maximè; qui efferati ſunt Actæones, in quos cadit illud, quod ex Hieronymô *in can. Eſau, diſt. 86.* legitur: *Eſau* venator *erat, quoniam peccator erat. Et penitus non invenimus in ſcripturis ſanctis ſanctum aliquem venatorem, piſcatoret invenimus ſanctos.*

II.

Abuſus autem ſimultaneæ venationis præcipuus eſt, I. quando tempus ei præſcriptum, in præjudicium vicini negligitur, ac prædam quis alteri vicino intempeſtivâ venatione præripit. Quod factum ſæpiùs commiſſum, non immeritò privatione juris convenandi punitur. II. Si modus venandi legitimus exceditur. Dum vell illicitè capiuntur majores feræ cùm tantùm minorum ferarum, des kleinen oder Nieder-Weidewercks / venatio competat; vel ultra terminos ac fines ea extenditur, quod, cùm frequenter fieri ſoleat, multis contentionibus rixis ac turbis inter vicinos cauſſam præbet, ita ut nonnunquam partes à verbis ad verbera & arma veniant. Conqueritur de hoc aduſu der Kuppel-Jagt / ipſe Elector Saxoniæ, in mandato venatorio ſuperius adducto, de *anno 1629.* his verbis: Demnach vornehmlich in Thüringen / unſerm Haaſen-Gehege nicht weniger Schade zuwächſet / durch diejenigen / ſo auff die Kuppel-Jagten ziehen / und unter Weges / wenn ſie nur antreffen / in Gehegen zu hetzen pflegen / Als wollen wir denen / ſo in ermeldten Gehegen angeſeſſen / Wind-Hunde zu halten keines weges verſtatten / ꝛc.

III.

III. Si quis ſubditos ſuos iniquiſſimis operis ac intolerabilibus ſervitiis unmäßigen Jagt-Frohnen / premat, & opprimat, quod nonnunquam rei venatoriæ prorſus dediti homines facere ſolent, illique apud ſuperiorem de eò abuſu

con-

conquerantur; per ſententiam quandoque Vaſallus ob nimium abuſum jure venandi, (ut & jurisdictione) juſtè privari poteſt.

IV.

Exſtinguitur etiam II. convenatie, *negligentiâ. vel patientiâ alterius;* cùm quis eo jure per 30. 40. & plures annos non uſus fuerit, cùm tamen eo uti potuiſſet. Hoc caſu vicinus, in ejus fundo mihi ſimultanea venatio competebat, libertatem fundi contra me rectè præſcribit, & poſt tanta temporis ſpatia juſtè me excludere poteſt: *per jura vulgata.*

V.

Finitur præterea III. *lapſu temporis*, ſi forte ad certum tempus convenatio reſtricta fuerit, illudque præterlapſum eſt.

VI.

VI. *Revocatione*, ſi forte precariò quis eo jure in alieno uſus ſit: item VI. morte, ſi ita inter vicinos conventum fuerit, ac forte convenatio, ut jus quoddam perſonale nobis competierit.

VII.

VII. *Succeſſione*, vel *univerſali* vel *ſingulari*: Si quis fundi alterius, in quo jus convenandi exercebat, emtione vel hereditate, plenè Dominus factus ſit; tunc enim convenatio exſpirat, cum ad inſtar ſervitutis, non noſtro, ſed alieno prædio inhæreat.

VIII.

Quæritur autem, *Si duo vel tres in agris ſuis, mutuam convenationem per longum tempus exercuerint, an uni vel alteri permiſſum ſit, ei renunciare, & ſeparatim in proprius agris venationes exercere?* Diſtinguendum videtur: an convenatio mutua jure familiaritatis, amicitiæ & vicinitatis nitatur;

an verò præſcriptione vel immemorialis temporis uſu ea alteri adquiſita ſit. Priore caſu, qui tamen rarior eſt, omninò renunciatio licita eſt, quemadmodum de jure compaſcui, in diſcurſu, *de compaſculatione*, pluribus ex Köppenio, *deciſ. 29.* docuimus. Quæ enim ex familiaritate & amicitiâ nobis conceduntur, ea præſcriptibilia eſſe non cenſentur. vid. Klock. *vol. 1. conſ. 21. n. 96. & ſeqq. Poſteriore verò caſu*, renunciatio locum habere non videtur, cum perpetuum jus per vetuſtatem temporis & uſus alter ſibi adquiſiverit, quod ei invito auſſerri nequit; cumprimis id obtinet, quando prædiorum & agrorum talis eſt naturalis ſituatio, ut ſeparationem non admittat, puta, quando agri vicinorum, ut ſæpè accidit, intermixti jacent. Add. quæ diximus in *d. diſcurſu de compaſculatione, circa finem.*

TANTUM
hâc vice
*De*
Jure Convenandi.
*D. S. G.*

---

## APPENDIX.
### DE
# VENATIONIBUS PRECARIIS,
### vulgò Beſtand- und Gnaden-Jagten.

I.

MOribus Germaniæ venationes in tantum hodiè eſſe interdictas, ut ne Nobilibus quidem & Vaſallis in propriis ſylvis & agris eas exercere liberum ſit, niſi eis à Principibus

pibus per inveſtituras feudales conceſſæ, vel præſcriptione, aliove modo legitimè fuerint adquiſitæ, notiſſimum eſt.

II.

Accidit tamen aliquando, Principem miniſtro vel Vaſallo ſuo, in certo diſtrictu per viam ſingularis gratiæ ac privilegii, venationem concedere, quam vulgò Beſtand-und Gnaden-Jagten/ & privilegium ipſum, Beſtand-oder Gnaden-Jagens Bewilligung/ vocant. Beſold. *theſ. pract. v.* Jagten. Speidel. *in ſpecul. verb.* Jagten. *in addit.*

III.

Cauſſa autem ejusmodi conceſſionis varia eſſe ſolet. Primò eſt *mera gratia* Principis, quâ v. g. Titio, fideli miniſtro aulico, qui caſtrum vel feudum ſine venationibus poſſidet, ad tempus gratificari vult. Secundò, *transactio*, quando inter Dominum & Vaſallum de venatione lis eſt, & hæc ita componitur, ut Vaſallus venationem, titulo precarii retineat, vel nomine privilegii perſonalis à Domino obtineat. Tertiò, quando Princeps, forte in loco nimis remoto, venationes habens pro poſſeſſione, contra vicinos turbatores, tuendâ, melius earum exercitium alicui ſub certo modo concedit.

IV.

Quoad modum concedendi hæc plerumque obſervari ſolent. 1. conceſſio dirigitur ad certam perſonam velut privilegium aliquod ſingulare ac perſonale. Ipſum verò feudum vel caſtrum, quod quis poſſidet, minimè adficit. 2. Exprimitur certus locus ac diſtrictus, ubi venatio exerceri debeat 3. præſcribitur certus venandi modus, qui præcisè obſervandus. 4. Reſtringi ſolet conceſſio ad certum vel incertum tempus. 5. Revocatio conceſſionis libera reſervatur. 6. Super iſta conceſſione inſtrumentum conficitur. 7. Ne precariò poſſidens venationes ſibi perpetuum jus contra

con-

